Omnis trianguli: quiuis duo anguli duobus rectis angulis sunt minores, quouis modo sunt.

Explicatio dati.) Sit triangulus αβγ. Explicatio quæsiti.) Dico quòd trianguli αβγ: duo anguli sint minores duobus rectis, quouis modo sumpti. Delineatio.) Producatur linea βγ, ad punctum δ. Demonstratio.) Quoniam trianguli αβγ, angulus extraneus αγβ: maior est angulo αβγ, interno sibi opposito. Communis addatur angulus αγβ. anguli igitur αγδ, αγβ: sunt maiores angulis αβγ, βγα. Verum anguli αγδ, αγβ: sunt duo recti. ergo anguli αβγ, γβα, sunt minores duobus rectis. Simili ratione demonstrabimus angulos βαγ, αγβ: duobus rectis esse minores. Item & angulos αγβ, αβγ: duobus rectis esse minores. Conclusio.) Omnis igitur trianguli, quiuis duo anguli: minores sunt duobus angulis rectis. Id quod erat demonstrandum.

Propo-

Propositio decimaoctaua. Theorema.

VT quoduis latus trianguli est maius: ita maiorẽ subtendit angulũ.

Explicatio dati.) Sit triangulus αβγ: habens latus αγ, maius latere αβ. Explicatio quæsiti.) Dico quòd angulus αβγ: maior sit angulo αγβ. Delineatio.) Cum enim latus αγ, sit maius latere αβ: fiat linea αβ, æqualis recta αδ: & ducatur recta βδ. Demonstratio.) Quoniam trianguli βδγ, angulus αδβ externus: maior est angulo δγβ, interno sibi opposito: & angulus αδβ, sit æqualis angulo αβδ: cum latus αβ, lateri αδ sit æquale. idcirco angulus αβδ: maior est angulo αγβ. Ergo angulus αβγ, multo est maior angulo αγβ. Conclusio.) Vt quoduis igitur latus trianguli est maius: ita maiorem subtendit angulum. id quod erat demonstrandum.

Propositio decima nona. Theorema.

VT triangulus aliquis, angulum quemuis habuerit maiorem: ita etiam maiorem habebit eam lineã rectam, quę illum subtendit angulum.

Expli-

Explicatio dati.) Sit triangulus $\alpha\beta\gamma$: habens angulũ $\alpha\beta\gamma$, maiorem angulo $\alpha\gamma\beta$. Explicatio quæsiti.) Dico quod trianguli $\alpha\beta\gamma$: latus $\alpha\gamma$, maius sit latere $\alpha\beta$. Demonstratio.) Si enim non fuerit maius: tum vel erit ei æquale: vel erit eo minor. sed recta $\alpha\gamma$, non est æqualis rectæ $\alpha\beta$. nam & angulus $\alpha\beta\gamma$, angulo $\alpha\gamma\beta$ esset æqualis. id quod tamen non est. quare neq; latus $\alpha\gamma$. lateri $\alpha\beta$, erit æquale: neque etiam latus $\alpha\gamma$, poterit esse minus latere $\alpha\beta$. quia etiam angulus $\alpha\beta\gamma$, minor esset angulo $\alpha\gamma\beta$: cum tamen non sit. Quare neq; latus $\alpha\gamma$, minus est latere $\alpha\beta$. antea autem demonstratum est. quod ei non sit æquale. Erit ergo $\alpha\gamma$ latus, maius latere $\alpha\beta$. Conclusio.) Omnis igitur trianguli, maiorẽ angulum maius latus subtendit. Id quod erat demonstrandum.

Propositio vigesima. Theorema.

OMnis trianguli: quæuis duo latera, sunt maiora reliquo.

Explicatio dati.) Sit triangulus $\alpha\beta\gamma$. Explicatio quæsiti.) Dico quod trianguli $\alpha\beta\gamma$: quæuis duo latera, sint maiora reliquo.

quo. latera βα,αγ, maiora latere βγ: Item latera αβ.βγ, maiora latere αγ: deniq; latera βγ,γα, maiora latere αβ. Delineatio.) Producatur linea βα, ad punctum δ: & fiat lineæ αγ, æqualis linea αδ: deniq; ducatur linea γδ. Demonstratio.) Quoniam latus δα, æquale est lateri αγ: etiam angulus αδγ, est æqualis angulo αγδ. Verum angulus αγδ, maior est angulo αδγ. quare & angulus βγδ, angulo αδγ, maior erit. & quia triangulus δγβ, angulum βγδ maiorem habet angulo αγδ: atq; maius latus subtendit angulum maiorē: idcirco & latus δβ, maius est latere βγ. Sed δβ latus, æquale est αβ, αγ lateribus. quare βα,αγ, duo latera: sunt maiora latere βγ. Similiter demonstrabimus, quòd latera αβ,βγ, sint maiora latere αγ: & βγ, γα latera sint maiora latere αβ. Conclusio.) Omnis igitur trianguli, quæuis duo latera: sunt maiora reliquo. id quod erat demonstrandum.

Propositio vigesima prima. Theorema.

SI à finibus vnius lateris trianguli cuiusuis, duæ rectæ lineæ intra triangulum ad punctũ idẽ statuantur: erunt quidẽ istæ duæ rectę lineæ, reliquis duobus trianguli lateribus minores: verùm maiorem angulum comprehendent.

Explicatio dati.) Super latere enim βγ trianguli αβγ: à finibus β, & γ, duæ lineæ rectæ βδ, δγ statuantur intra triangulum. Explicatio quæsiti.) Dico quod duæ rectæ βδ, δγ minores quidẽ sint reliquis duobus trianguli lateribus βα, αγ: verum angulum βδγ, maiorem angulo βαγ, contineant. Delineatio.) Producatur enim linea βδ: ad punctum usque ε. Demonstratio.) Quoniam omnis trianguli duo latera maiora sunt reliquo: idcirco trianguli αβε, duo latera αβ, αε sunt maiora latere βε. Commune addatur latus εγ. latera igitur βα, αγ, maiora sunt lateribus βε, εγ. Item quia trianguli γεδ, duo latera γε, εδ maiora sunt latere γδ. Cõmune addatur latus δβ. quare latera γε, εβ: maiora sunt lateribus γδ, δβ. Verum latera βα, αγ: demõstrata sunt maiora lateribus βε, εγ. ergo βα, αγ latera, lõge erũt maiora lateribus βδ, δγ. Rursus quoniã omnis triãguli angulus extraneus,

angulo

angulo intra triangulum sibi opposito est maior: idcirco trianguli γδε, angulus βδγ extraneus, angulo γεδ interno sibi opposito est maior. Per eadem demonstrabitur, quòd trianguli αβε, angulus γεβ: maior sit angulo βαγ. verum angulo γεβ, maior est demonstratus angulus βδγ. Ergo angulus βδγ: multò est maior angulo βαγ. (Conclusio.) Si igitur à finibus vnius lateris trianguli cuiusuis, duæ rectæ lineæ intra triangulum, ad puncta eadē statuantur: erūt quidem istæ duæ rectæ lineæ, reliquis duobus trianguli lateribus minores: verum maiorem angulū comprehendent. Id quod erat demonstrandum.

Propositio vigesima secunda. Problema.

EX tribus lineis rectis: quæ sunt æquales tribus rectis lineis datis: triangulum constituere. Oportet verò quasuis duas reliqua esse maiores: propterea quod in omni triangulo quæuis duo latera, maiora sint reliquo.

Explicatio dati,) Sint tres lineæ rectæ datæ α, β, γ: & sint quæuis duæ maiores quàm reli-

reliqua: scilicet α & β maiores quàm γ: & α, atq; γ, maiores quàm β: deniq; β, & γ, maiores quàm α. *Explicatio quæsiti.*) Oportet igitur ex tribus lineis rectis: quæ datis tribus, α, β, γ, sunt æquales: triangulum componere. *Delineatio.*) Sumatur recta aliqua linea $\delta\epsilon$: finita quidem ad punctum δ: infinita verò ad punctum ϵ. deinde fiat lineæ rectæ α: æqualis linea recta $\delta\zeta$. Item rectæ β: æqualis recta $\zeta\eta$. præterea rectæ γ: æqualis recta $\eta\theta$. Ad hæc centro ζ, interuallo $\zeta\delta$: describatur circulus $\delta\kappa\lambda$. centro etiam η, interuallo $\eta\theta$: describatur circulus $\kappa\lambda\eta$: secans circulum $\delta\eta\lambda$, in puncto κ. Denique ducantur lineæ rectæ $\zeta\kappa$, $\kappa\eta$. *Delineationis factæ explicatio.*) Dico quòd ex lineis rectis tribus, quæ sunt æquales tribus rectis datis: compositus sit triangulus $\kappa\zeta\eta$. *Demonstratio.*) Quoniam punctũ ζ, centrum est circuli $\delta\kappa\lambda$. idcirco recta $\zeta\delta$, æqualis est rectæ $\zeta\eta$: verùm recta $\zeta\delta$, est æqualis rectæ α: itaq; & $\kappa\zeta$ recta, æqualis est rectæ α. Item quoniã punctum η, est centrum circuli $\kappa\lambda\eta$: idcirco recta $\eta\theta$, est æqualis rectæ $\eta\kappa$. verùm $\eta\theta$ æqualis est γ rectæ, ergo & $\eta\kappa$ recta, æqualis est re-

ctæ γ. Verùm $\zeta\eta$, etiam est æqualis rectæ β. Tres igitur rectæ $\kappa\zeta$. $\zeta\eta$. $\eta\kappa$: tribus rectis α, β, γ, sunt æquales. Conclusio.) Ex tribus igitur rectis $\kappa\zeta$, $\zeta\eta$, $\eta\kappa$, quæ sunt æquales tribus datis γ, β, γ, rectis: triangulus est factus $\kappa\zeta\eta$. Quod faciendum erat.

Propositio vigesima tertia. Problema.

AD datam lineam rectam: & datū in ea punctum: dato angulo rectilineo: æqualem angulum rectilineum statuere.

Explicatio dati.) Sit data linea recta $\alpha\beta$: sit datum in ea punctum α: sit angulus rectilineus datus $\delta\gamma\epsilon$. Explicatio quæsiti.) Ad lineam rectam datam $\alpha\beta$: & punctum in ea datum α: statuendus est angulus rectilineus: æqualis angulo $\delta\gamma\epsilon$ rectilineo dato. Delineatio.) Sumantur in lineis rectis $\gamma\delta$, $\gamma\epsilon$, puncta quæuis δ, ϵ. Ducatur etiā linea recta $\delta\epsilon$. Postea ex talibus lineis rectis quæ sunt æquales tribus rectis $\gamma\delta$, $\delta\epsilon$, $\gamma\epsilon$. componatur triangulus $\alpha\zeta\eta$: sic vt linea $\gamma\delta$, sit æqualis lineæ $\alpha\zeta$: & lineæ $\gamma\epsilon$, lineæ $\alpha\eta$: item lineæ $\delta\epsilon$, æqualis lineæ

$\zeta\eta$.

ζη: Demonstratio.) Quoniam duo latera δγ, γε, duobus lateribus ζα, αη, sunt æqualia alterum alteri: & basis δε, æqualis sit basi ζη. Erit igitur angulus δγε: æqualis angulo ζαη. Conclusio) Ad datam igitur lineam rectam αβ: & ad punctum in ea datum α: dato angulo rectilineo δγε: cõstitutus est angulus rectilineus ζαη. Id quod erat faciendum.

Propositio vigesima quarta. Theorema.

SI fuerint trianguli vnius, duo latera æqualia duobus lateribus alterius trianguli, alterũ alteri: sed angulus vnius maior angulo alterius, quẽ æquales rectæ lineæ comprehendunt: etiam basis basi maior erit.

Explicatio dati.) Sint duo trianguli αβγ, δεζ: quorum duo latera αβ, αγ, duobus lateribus δε, δζ sint æqualia; alterum alteri: latus αβ, lateri δε: & latus αγ, lateri δζ: sed angulus βαγ sit maior angulo εδζ. Explicatio quæsiti.) Dico quod basis βγ, basi εζ sit maior. Delineatio.) Quoniã angulus βαγ maior est angulo εδζ: statuatur ad lineam rectã εδ:

& ad punctum in ea δ: angulus $\epsilon\delta\eta$, aequalis angulo $\beta\alpha\gamma$: & fiat alterutrae linearum $\alpha\gamma$, $\delta\zeta$: aequalis linea recta $\delta\eta$. & ducantur lineae rectae $\eta\epsilon$, $\zeta\eta$. Demonstratio.) Quoniam latus $\alpha\beta$, aequale est lateri $\delta\epsilon$: & latus $\alpha\gamma$: aequale est lateri $\delta\eta$: duo igitur latera $\beta\alpha$, $\alpha\gamma$, duobus lateribus $\epsilon\delta$, $\delta\eta$ sunt aequalia, alterum alteri: & angulus $\beta\alpha\gamma$, aequalis est angulo $\epsilon\delta\eta$. Ergo basis $\beta\gamma$, basi $\epsilon\eta$ est aequalis. Item quoniam latus $\delta\eta$, est aequale lateri $\delta\zeta$: erit etiam angulus $\delta\zeta\eta$, aequalis angulo $\delta\eta\zeta$. ergo angulus $\delta\zeta\eta$ maior est angulo $\epsilon\eta\zeta$. quare angulus $\epsilon\zeta\eta$, longè maior est angulo $\epsilon\eta\zeta$. Cum etiam triangulus $\epsilon\zeta\eta$, habeat angulum $\epsilon\zeta\eta$, maiorem angulo $\epsilon\eta\zeta$: ac maiorem angulum maius latus subtendat, idcircò latus $\epsilon\eta$, maius est latere $\epsilon\zeta$. verùm latus $\epsilon\eta$, aequale est lateri $\beta\gamma$. ergo & $\beta\gamma$ latus, maius est latere $\epsilon\zeta$. Conclusio.) Si ergo duo fuerint trianguli, habentes duo latera, duobus lateribus aequalia, alterum alteri: angulum verò angulo maiorem, qui aequalibus illis lateribus continetur: etiam basin basi maiorem habebunt. Id quod erat demonstrandũ.

Propo-

Propositio vigesima quinta. Theorema.

SI trianguli vnius, duo latera fuerint ęqualia duobus lateribus trianguli alterius: sed basis vnius fuerit maior basi alterius: erit etiam angulus vnius maior angulo alterius, quem æquales illæ rectę lineæ comprehendũt.

Explicatio dati.) Sint duo trianguli $\alpha\beta\gamma$, $\gamma\epsilon\zeta$: quorum duo latera $\alpha\beta$, $\alpha\gamma$, sint æqualia duobus lateribus $\delta\epsilon$, $\delta\zeta$, alterum alteri: latus $\alpha\beta$, æquale lateri $\delta\epsilon$: & latus $\alpha\gamma$, æquale lateri $\delta\zeta$: sed basis $\beta\gamma$, sit maior basi $\epsilon\zeta$. Explicatio quæsiti.) Dico quod angulus $\beta\alpha\gamma$, maior sit angulo $\epsilon\delta\zeta$. Demonstratio.) Quod si enim non fuerit maior: aut erit ei æqualis: aut eo minor. sed angulus $\beta\alpha\gamma$, non est æqualis angulo $\epsilon\delta\zeta$. nam & basis $\beta\gamma$, etiam esset æqualis basi $\epsilon\zeta$. Verùm non est ei æqualis. quare nec angulus $\beta\alpha\gamma$, est æqualis augulo $\epsilon\delta\zeta$: sic etiã non est eo minor: siquidem & basis $\beta\gamma$, basi $\epsilon\zeta$ minor esset: quod tamen non est. quare nec angulus $\beta\alpha\gamma$, angulo $\epsilon\delta\zeta$ minor est. demonstratum verò antea fuit. quòd ei non sit æqualis. Erit igitur angulus $\beta\alpha\gamma$, angulo $\epsilon\delta\zeta$ maior.

Conclusio.) Si ergo fuerint trianguli vnius duo latera æqualia duobus lateribus trianguli alterius, alterum alteri: sed basis vnius maior basi alterius: erit etiã angulus vnius, maior angulo alterius, quem æquales rectæ lineæ comprehendunt. Id quod erat demonstrandũ.

Propositio vigesima sexta. Theorema.

QVorum triangulorum duo anguli vnius, fuerint æquales duobus angulis alterius: alter alteri: & latus vnum, æquale vni: siue illud appositum sit æqualibus illis angulis: siue subtendat, vnum ex æqualibus illis angulis: illorum tum reliqua latera inter se erunt æqualia, alterum alteri: tum etiam reliquus angulus reliquo angulo erit æqualis.

Prima explicatio dati.) Sint duo trianguli αβγ, δεζ, quorum duo anguli αβγ, βγα sint æquales duobus angulis δεζ, εζδ, alter alteri: angulus αβγ, æqualis angulo δζε: & angulus βγα, angulo εζδ: habeant etiam vnum latus vni lateri æquale, & primo loco, latus quod positum est ad æquales illos angulos, latus

tus $\beta\gamma$, *lateri* $\epsilon\zeta$. *Prima explicatio quæsiti.*) *Dico quod & reliqua latera reliquis lateribus habebunt æqualia, alterũ alteri: latus* $\alpha\beta$, *lateri* $\delta\epsilon$: *et latus* $\alpha\gamma$, *æquale lateri* $\delta\zeta$: *et reliquũ angulũ reliquo angulo æqualẽ, nempe angulũ* $\beta\alpha\gamma$, *æqualẽ angulo* $\epsilon\delta\zeta$. *Prima delineatio.*) *Si enim* $\alpha\beta$, *latus, inæquale fuerit lateri* $\delta\epsilon$: *vnum ex istis sit maius. sit igitur latus* $\alpha\beta$, *maius. & fiat rectæ* $\delta\epsilon$, *æqualis recta* $\beta\eta$: *& ducatur recta* $\eta\gamma$. *Prima demonstratio.*) *Cum itaq; latus* $\beta\eta$, *sit æquale lateri* $\delta\epsilon$, *& latus* $\beta\gamma$ *æquale lateri* $\epsilon\zeta$. *duo igitur latera* $\beta\eta$, $\beta\gamma$: *duobus lateribus* $\delta\epsilon$, $\epsilon\zeta$, *sunt æqualia alterum alteri: & angulus* $\eta\beta\gamma$, *angulo* $\delta\epsilon\zeta$ *æqualis: ergo basis* $\eta\gamma$, *basi* $\delta\zeta$ *est æqualis, & triangulus* $\alpha\gamma\beta$, *triangulo* $\delta\epsilon\zeta$ *est æqualis, & reliqui anguli, reliquis angulis sunt æquales, alter alteri, quos æqualia illa latera subtendunt angulus* $\eta\gamma\beta$, *æqualis angulo* $\delta\zeta\epsilon$, *sed angulus* $\delta\zeta\epsilon$, *proponitur æqualis angulo* $\beta\gamma\alpha$. *erit igitur angulus* $\beta\gamma\eta$, *etiam æqualis angulo* $\beta\gamma\alpha$, *minor maiori, quod fieri nequit. Conclusio prima.*) *Ergo latus* $\alpha\beta$, *nõ est inæquale lateri* $\delta\epsilon$, *ergo erit ei æquale, verum latus* $\beta\gamma$

etiam est æquale lateri εζ: duo igitur latera αβ, βδ: duobus lateribus δε, εζ, sunt æqualia alterum alteri: & angulus αβγ, angulo δεζ æqualis. basis itaque αγ, basi δζ erit æqualis: & reliquus angulus βαγ, reliquo angulo εδζ æqualis. Secunda explicatio dati.) Verum iterum statuantur latera æquales angulos subtendentia æqualia, vt αβ latus, æquale lateri δε. Secunda explicatio quæsiti.) Dico quod etiam reliqua latera, reliquis lateribus sint æqualia, latus αγ, æquale lateri δζ: & latus βγ, æquale lateri εζ: denique reliquus angulus βαγ, reliquo angulo εδζ æqualis. Secunda delineatio.) Si enim latus βγ, non fuerit æquale lateri εζ: sed alterum ex eis fuerit maius. sit latus βγ, si poterit fieri, maius latere εζ: & fiat lateri εζ, æquale latus βθ: & ducatur recta αθ. Secunda demonstratio.) Quoniam latus βθ, æquale est lateri εζ. & latus αβ, æquale lateri δε: duo itaque latera αβ, βθ: duobus lateribus δε, εζ, sunt æqualia alterum alteri: & angulos comprehendunt æquales: basis igitur αθ, est æqualis basi δζ: & triangulus αβθ, triangulo δεζ est æqualis: & reliqui anguli, reliquis

quis angulis sunt æquales alter alteri, quos æqualia illa latera subtendũt: angulus $\beta\delta\alpha$, æqualis angulo $\varepsilon\zeta\delta$. Verùm angulus $\varepsilon\zeta\delta$, est æqualis angulo $\beta\gamma\alpha$. ergo angulus $\beta\theta\alpha$, est æqualis angulo $\beta\gamma\alpha$. Trianguli igitur $\alpha\theta\gamma$, angulus $\beta\theta\alpha$ externus: angulo $\beta\gamma\alpha$ interno sibi opposito est æqualis. quod fieri nequit. Quare latus $\beta\gamma$: non est inæquale lateri $\varepsilon\zeta$, erit igitur ei æquale. sed & $\alpha\beta$ latus, est æquale lateri $\delta\varepsilon$: duo igitur latera $\alpha\beta$, $\beta\gamma$: sunt æqualia duobus lateribus $\delta\varepsilon$, $\varepsilon\zeta$ alterum alteri: & angulos comprehendunt æquales. basis igitur $\alpha\gamma$, basi $\delta\zeta$ est æqualis: & triangulus $\alpha\beta\gamma$, est æqualis triangulo $\delta\varepsilon\zeta$: & reliquus angulus $\beta\alpha\gamma$, reliquo angulo $\varepsilon\delta\zeta$ est æqualis. Conclusio.) Quorum ergo triangulorum duo anguli vnius, fuerint æquales duobus angulis alterius, alter alteri: & latus vnum vni lateri æquale; siue illud appositum sit æqualibus illis angulis: siue subtẽdat vnum ex æqualibus illis angulis. illorũ tum reliqua latera inter se erunt æqualia, alterum alteri: tum etiam reliquus angulus, reliquo angulo erit æqualis. Id quod erat demonstrandum.

PARS ALTERA HVIVS primi elementi.

Propositio vigesima septima. Theorema.

SI in duas lineas rectas, recta incidens linea, angulos alternos aequales inter se fecerit: equedistantes inter se erunt rectae illae duae lineae.

Explicatio dati.) In lineas duas rectas αβ, γδ: incidens linea recta εζ: angulos alternos αεζ, εζδ: equales inter se faciat. Explicatio quesiti.) Dico quod recta αβ, rectae γδ, aequedistet. Hypothesis.) Si enim non aequedistantes, eum protractae lineae rectae αβ, γδ: concurrunt, vel ex partibus β & δ: vel ex partibus α, & γ. Delineatio.) Protrahantur & concurrant ex partibus β, & δ in puncto η. Demonstratio.) Trianguli igitur ηεζ angulus αεζ externus, angulo εζη interno opposito est maior: verum etiam est ei aequalis quod fieri non potest. quare rectae αβ, γδ si protrahantur: non concurrent ex partibus β, & δ, similiter demonstrabitur: quod neque ex partibus α, & γ, concurrant.

currant. rectæ verò, quæ ex neutra parte concurrunt, si protrahantur: sunt inter se æquedistantes. quare recta αβ, æquedistat rectæ γδ. Conclusio.) Si igitur in duas lineas rectas, recta incidat linea: ac faciat angulos alternos inter se æquales: rectæ istæ lineæ inter se sunt æquedistantes. Id quod erat demonstrandum.

Propositio vigesima octaua. Theorema.

SI linea recta, in duas rectas incidens lineas: extraneum angulum, interno cui opponitur ex eadem parte feceris æqualem: vel si duos internos, ex eadem parte: fecerit æquales duobus angulis rectis: æquedistãtes inter se erũt, duæ illæ lineæ rectæ.

Explicatio dati.) In lineas duas rectas αβ, incidat linea recta εζ: angulum extraneum εηβ, interno opposito ex eadẽ parte angulo ηζδ: faciat æqualem: & faciat duos angulos internos, ex eadem parte βηθ, ηθδ: æquales duobus angulis rectis. (Explicatio quæsiti.) Dico quod recta αβ, æquedistet rectæ γδ. Demonstratio. (Cùm enim angulus εηβ, sit æqualis

qualis angulo $\alpha\eta\theta$: idcirco angulus $\alpha\eta\theta$, etiam est aequalis angulo $\eta\theta\delta$. & sunt anguli alterni. quare recta $\alpha\beta$, recta $\gamma\delta$, est aequedistans. Rursus, quoniam anguli $\beta\eta\theta$, $\eta\theta\delta$, duobus rectis sunt aequales: & duo anguli $\alpha\eta\theta$, $\beta\eta\theta$, etiã duobus rectis aequales: idcirco anguli $\alpha\eta\theta$, $\beta\eta\theta$ sunt duobus angulis $\beta\eta\theta$, $\eta\theta\delta$ aequales. communis auferatur angulus $\beta\eta\theta$, reliquus igitur angulus $\alpha\eta\theta$: reliquo angulo $\eta\theta\delta$, est aequalis, & sunt anguli alterni. ergo recta $\alpha\beta$, aequedistat rectae $\gamma\delta$. (Conclusio.) Si igitur linea recta, in duas rectas incidens lineas: externum angulum interno cui opponitur, ex eadem parte fecerit aequalem: vel si duos angulos internos, ex eadem parte, fecerit aequales duobus angulis rectis: aequedistantes inter se erunt, duae illae lineae rectae. Id quod erat demonstrandum.

Propositio vigesima nona. Theorema.

Linea recta, in duas rectas aequedistantes lineas incidens: facit angulos alternos inter se aequales: & angulum externum, interno opposito ex eadem parte facit aequalem: item duos angu-

angulos internos, ex eadem parte facit æquales duobus rectis.

Explicatio dati.) Sint duæ lineæ rectæ æquedistantes αβ, γδ: & in eas incidat linea recta εζ. Explicatio quæsiti.) Dico quod faciat angulos αηθ, ηθδ: qui sunt alterni, inter se æquales: & angulum externum εηβ, angulo interno opposito ex eadem parte ηθδ, æqualem: & angulos internos ex eadem parte positos βηθ, ηθδ: duobus rectis æquales. Demonstratio cum hypothesi.) Si enim angulus αηθ, non est æqualis angulo ηθδ: alter illorum erit maior. sit angulus αηθ maior. Quoniam angulus αηθ, maior est angulo ηθδ: communis addatur angulus βηθ. ergo anguli αηθ, βηθ, sunt maiores angulis βηθ, ηθδ. Verum anguli αηθ, βηθ: duobus rectis sunt æquales. ergo anguli βηθ, ηθδ: duobus rectis sunt minores. lineæ verò rectæ, à duobus angulis, qui sunt minores duobus angulis rectis: in infinitum vsq; ductæ: concurrunt. quare rectæ αβ, γδ in infinitum productæ concurrent. sed quia æquedistantes proponuntur esse: nō concurrūt: idcirco angulus αηθ, non est inæqualis angulo ηθδ.

ηθδ, erit igitur ει æqualis. Verũ angulus αηθ: angulo εηϐ est æqualis: ideo etiã angulus εηβ est æqualis angulo ηθδ. cõmunis addatur angulus ϐηθ, ergo anguli εηβ, βηθ: angulis βηθ, ηθδ sunt æquales. verùm anguli εηβ, βηθ: duobus rectis sunt æquales. idcirco & anguli βηθ, ηθδ: duobus rectis æquales erunt. Conclusio.) Linea igitur recta, in duas æquedistantes lineas rectas incidens: facit alternos angulos, inter se æquales: & angulum externum, interno opposito ex eadem parte facit æqualem: item duos angulos internos, ex eadem parte, facit æquales duobus rectis. Id quod erat demonstrandum.

Propositio trigesima. Theorema.

QVæ eidem lineæ rectæ æquedistant: illæ etiam inter se æquedistant.

Explicatio dati.) Sit linea recta εζ, cui æquedistẽt recta lineæ αβ, γδ. Explicatio quæsiti.) Dico quòd recta αϐ, etiam æquedistet recta γδ. Delineatio.) Incidat in prædictas lineas: recta quædam linea ηκ. Demonstratio.)

Quoniam

Quoniam in duas æquedistantes rectas κε, εζ incidit recta ηθ: idcirco angulus κηθ: est æqualis angulo ηθζ. Præterea quoniam in duas rectas æquedistantes εζ, γδ recta incidit ηκ: angulus ηθζ, erit æqualis angulo ηκδ. demonstratum verò est, quòd angulus αηκ: angulo ηθζ sit æqualis. quare & angulus αηκ: angulo ηκδ est æqualis, & sunt anguli alterni. Quare recta αβ, æquedistat rectæ γδ. Conclusio.) Quæ igitur rectæ eidem lineæ rectæ æquedistant: illæ etiam inter se æquedistant. Id quod erat demonstrandum.

Propositio trigesima prima. Problema.

A Puncto dato: datæ lineæ rectæ: rectam lineam æquedistantem ducere.

Explicatio dati.) Sit datum punctum α: & data linea recta βγ. Explicatio quæsiti.) A dato puncto α: ducenda est linea recta, æquedistans lineæ rectæ datæ, βγ. Delineatio.) Sumatur in linea recta βγ: punctum quoduis δ: & ducatur linea recta αδ: ad lineam rectā αδ: & punctū in ea α: angulo rectilineo αδγ: æqua-

æqualis ſtatuatur angulus rectilineus δαε: & ducatur linea αζ, ἐπ' εὐθείας, lineæ εα. Demonſtratio.) Quoniam in duas lineas rectas βγ, εζ: incidens linea recta αδ: angulos alternos εαδ, αδγ, æquales inter ſe fecit. idcirco recta εζ, æquedistat rectæ βγ. (Concluſio.) A puncto igitur dato α: data lineæ rectæ βγ: ducta eſt linea recta εαζ æquediſtans. Id quod faciendum erat.

Propoſitio trigeſima ſecunda.
Theorema.

Omnis trianguli, vno è lateribus protracto: exterior angulus, duobus angulis interioribus quibus opponitur, eſt equalis: & trianguli tres interiores anguli: duobus rectis ſunt æquales.

Explicatio dati.) Sit triangulus αβγ: & protrahatur latus eius βγ, ad punctum δ. Explicatio quæſiti.) Dico quod angulus αγδ: eſt æqualis duobus angulis γαβ, αβγ, interioribus quibus opponitur: & quod anguli tres interiores αβγ, βγα, γαβ: ſint æquales duobus

angulis

angulis rectis. Delineatio.) Ducatur à puncto γ: linea recta αβ: æquedistans linea recta γε. Demonstratio.) Quoniam recta αβ, æquedistat rectæ γε: & in eas incidit recta αγ. Idcirco alterni anguli βαγ, αγε: sunt inter se æquales. Item cum recta αβ, æquedistet recta γε: & in eas incidit recta Ϭδ: angulus εγδ externus, est æqualis angulo αβγ interno opposito. Sed demonstratum est angulum αεγ: angulis βαγ αβγ esse æqualem. totus igitur angulus αγδ externus, duobus angulis internis oppositis βαγ, αβγ est æqualis. Cõmunis addatur angulus αγϬ. anguli igitur αγδ, αγβ: tribus angulis αβγ, βγα, γαβ sunt æquales. Sed duo anguli αγδ, αγβ sunt duobus rectis æquales. quare tres anguli αγβ, γβα, γαβ, duobus rectis erunt æquales. Conclusio.) Omnis igitur trianguli, vno è lateribus protracto: exterior angulus, duobus angulis interioribus, quibus opponitur, est æqualis: & trianguli, tres interiores anguli: duobus rectis sunt æquales. Id quod erat demonstrandum.

Propositio trigesima tertia. Theorema.

Lineæ rectæ, quæ ęquales, & ęquedistantes inter se lineas rectas ex eadem parte coniungunt; etiam ipsæ æquales, & æquedistantes inter se sunt.

Explicatio dati.) Sint lineæ rectæ αβ, γδ, æquales, & æquedistantes: easq́ ex eadem parta coniungant duæ rectæ, αγ. βδ. Explicatio quæsiti.) Dico quod rectæ αγ, βδ, æquales, & æquedistantes sint. Delineatio.) Ducatur linea recta βγ. Demonstratio.) Quoniam recta αβ, æquedistat rectæ γδ: & in eas incidit recta βγ: idcirco anguli αβγ, βγδ alterni: sunt inter se æquales. Et cum recta αβ: sit æqualis rectæ γδ: communis verò βγ: duo igitur latera αβ, βγ, duobus lateribus βγ, γδ sunt æqualia: & angulus αβγ, angulo βγδ est æqualis. basis igitur αγ, basi βδ est æqualis: & triangulus αβγ, triangulo βγδ est æqualis: & reliqui anguli, reliquis angulis sunt æquales alter alteri, quos æqualia illa latera subtendunt. angulus igitur αγβ, angulo γβδ est æqualis, & angulus βαγ, angulo γδβ. & quoniam

niam

niam in duas rectas $\alpha\gamma$, $\beta\delta$, recta incidẽs $\beta\gamma$: angulos alternos $\alpha\beta\gamma$, $\gamma\beta\delta$, æquales inter se fecit. idcirco recta $\alpha\gamma$, æquedistat rectæ $\beta\delta$. Verum demonstrata fuit ei esse æqualis. Conclusio.) Lineæ igitur rectæ, quæ æquales, & æquedistantes inter se lineas rectas, ex eadem parte coniungunt: etiam ipsæ æquales, & æquedistantes inter se sunt. Id quod erat demonstrandum.

Propositio trigesima quarta. Theorema.

AReæ, quę ęquedistantibus lineis rectis continentur; habent latera opposita, & angulos oppositos inter se æquales; & dimetiens ipsas medias secat.

Explicatio dati.) Sit figura æquedistantibus lineis rectis contenta $\alpha\gamma\delta\beta$: dimetiens eius linea $\beta\gamma$. Explicatio quæsiti.) Dico quod areæ $\alpha\beta\gamma\delta$, latus $\alpha\beta$: sit æquale lateri $\gamma\delta$: item latus $\alpha\gamma$, æquale lateri $\beta\delta$. Præterea dimetiens $\beta\gamma$, ipsam figuram secet in duas partes æquales. Demonstratio.) Quoniam recta $\alpha\beta$, æquedistat rectæ $\gamma\delta$: & in eas inci-

dit recta $\beta\gamma$: anguli alterni $\alpha\beta\gamma$, $\beta\gamma\delta$ sunt inter se æquales. Item quoniam recta $\alpha\gamma$, æquedistat rectæ $\beta\delta$: & in eas incidit recta $\beta\gamma$: anguli igitur alterni inter se sunt æquales. Quare cum duo trianguli $\alpha\beta\gamma$, $\gamma\beta\delta$: duos angulos $\alpha\beta\gamma$, $\beta\gamma\alpha$, habeat duobus angulis $\gamma\beta\delta$ $\beta\gamma\delta$, æquales, alterum alteri: & vnum latus, vni lateri æquale: nempe latus $\beta\gamma$, commune: quod ad angulos æquales est positum. idcirco & reliqua latera, reliquis lateribus habent æqualia, alterum alteri: & reliquum angulum reliquo angulo æqualem. latus $\alpha\beta$, æquale lateri $\gamma\delta$: & latus $\alpha\gamma$, æquale lateri $\beta\delta$: & angulum $\beta\alpha\gamma$, angulo $\beta\delta\gamma$, æqualem. Quia verò angulus $\alpha\beta\gamma$, angulo $\beta\gamma\delta$ est æqualis: & angulus $\gamma\beta\delta$, angulo $\alpha\gamma\beta$ etiam æqualis. Totus igitur angulus $\alpha\beta\delta$, toti angulo $\alpha\gamma\delta$ est æqualis. Verùm & angulus $\beta\alpha\gamma$, demonstratus est æqualis angulo $\beta\delta\gamma$. Cõclusio.) Areæ igitur, quæ æquedistantibus lineis rectis continentur: habent latera opposita æqualia, & angulos oppositos inter se æquales. Secũda explicatio quæsiti.) Dico quod diameter secet eas in duas partes æquales. Demonstratio secunda.)

Quoni-

Quoniam latus $\alpha\beta$, est æquale lateri $\gamma\delta$: & latus $\beta\gamma$ cõmune. duo igitur latera $\alpha\beta$, $\beta\gamma$: duobus lateribus $\gamma\delta$, $\beta\gamma$ sunt æqualia alterũ alteri: & angulus $\alpha\beta\gamma$, angulo $\beta\gamma\delta$ est æqualis. ergo basis $\alpha\gamma$, basi $\delta\beta$ est æqualis: & triangulus $\alpha\beta\gamma$, triangulo $\beta\gamma\delta$ etiam æqualis. (Conclusio.) Ergo diameter $\beta\gamma$, figuram $\alpha\beta\gamma\delta$: secat in duas partes æquales. Id quod demonstrandum erat.

TERTIA HVIVS ELEmenti pars.

Propositio trigesima quinta. Theorema.

QVæ parallelogramma, eandem habent basin: & in eisdem æque distantibus sunt lineis rectis: illa sunt æqualia inter se.

Explicatio dati.) Sint parallelogramma $\alpha\beta\gamma\delta$, $\epsilon\beta\gamma\zeta$: in eadem basi $\beta\gamma$: & eisdem lineis rectis æquedistantibus $\alpha\zeta$, $\beta\gamma$. Explicatio quæsiti.) Dico quod parallelogrammon $\alpha\beta\gamma\delta$: sit æquale parallelogrammo $\epsilon\beta\gamma\zeta$. De *monstratio.) Quoniam $\alpha\beta\gamma\delta$ figura: est parallelogrammon. idcirco latus $\beta\gamma$, est æquale lateri $\alpha\delta$. Per eadem demonstrabitur quoq; latus $\epsilon\zeta$: æquale lateri $\beta\gamma$. quare & latus $\alpha\delta$, est æquale lateri $\epsilon\zeta$. communis verò est recta $\delta\epsilon$. totum igitur latus $\alpha\epsilon$: toti lateri $\delta\zeta$ est æquale. Verum latus $\alpha\beta$: est etiam æquale lateri $\delta\gamma$. duo itaque latera $\epsilon\alpha$, $\alpha\beta$: duobus lateribus $\zeta\delta$, $\delta\gamma$ sunt æqualia alterum alteri: & angulus $\zeta\delta\gamma$, æqualis angulo $\epsilon\alpha\beta$, externus interno. basis igitur $\epsilon\beta$, basi $\zeta\gamma$ est æqualis: & triangulus $\epsilon\alpha\beta$, triangulo $\zeta\delta\gamma$ æqualis. communis auferatur triangulus $\delta\eta\epsilon$. quare reliquum trapezion $\alpha\beta\eta\delta$, reliquo trapezio $\epsilon\eta\gamma\zeta$ est æquale. Communis addatur triangulus $\eta\beta\gamma$. totum igitur parallelogrammon $\alpha\beta\gamma\delta$, est æquale toti parallelogrammo $\epsilon\beta\gamma\zeta$. Conclusio.) Quæ igitur parallelogramma eandem habent basin: & in eisdem æquedistantibus sunt lineis rectis: illa sunt inter se æqualia. Id quod erat demonstrandum.*

Propositio 36. Theorema.

QVæ parallelogramma, æquales habent

habent bases; & sunt in eisdem æquedistantibus lineis rectis: illa sunt æqualia inter se.

Explicatio dati.) Sint parallelogramma αβγδ, εζηθ: habentia bases βγ, ζη æquales: & sint inter easdem æquedistantes rectas lineas αθ, βη. Explicatio quæsiti.) Dico quod parallelogrammon αβγδ, sit æquale parallelogrammo εζηθ. Delineatio.) Ducantur lineæ rectæ βε, γθ. Demonstratio.) Quoniam recta βγ, æqualis est rectæ ζη: & ζη est æqualis rectæ εθ, idcirco & βγ, est æqualis rectæ εθ. verùm sunt lineæ rectæ æquedistantes, easque coniungunt rectæ γε, γθ: rectæ verò quæ æquales, & æquedistantes rectas ex eadē parte coniungunt: & ipsæ æquales, & æquedistantes sunt. quare rectæ εβ, γθ æquales & æquedistantes sunt. atque figura εβγθ est parallelogrāmon, & est æquale parallelogrāmo αβγδ, quia cum eo eandē habet basim βγ: & in eisdē est æquedistantibus rectis βγ, αθ. Similiter demonstrabimus quod ζηθε, eidem parallelogrāmo εβγθ sit æquale. quare parallelogrammon αβγδ, parallelogrāmo εζηθ est æquale.

Conclusio.) Quæ igitur parallelogramma, æquales habent bases: & sunt in eisdem æquedistantibus lineis rectis: illa sunt æqualia inter se. Id quod erat demonstrandum.

Propositio trigesima septima. Theorema.

QVi trianguli, eandem habent basin: & sunt in eisdem ęquedistantibus lineis rectis: illi sunt inter se æquales.

Explicatio dati.) Sint duo trianguli $\alpha\beta\gamma$, $\delta\gamma\beta$, *super eadem basi* $\beta\gamma$: *& in eisdem æquedistantibus lineis rectis* $\alpha\delta$, $\beta\gamma$. *Explicatio quæsiti.) Dico quod triangulus* $\alpha\beta\gamma$: *sit æqualis triangulo* $\delta\gamma\beta$. *Delineatio.) Producatur linea recta* $\alpha\delta$, *in vtramq; partem ad puncta* ϵ, *&* ζ: *& ex puncto* β, *ducatur linea recta* $\beta\epsilon$, *æquedistans lineæ rectæ* $\alpha\gamma$. *præterea ex puncto* γ, *ducatur recta* $\beta\gamma\zeta$, *æquedistans rectæ* δ. *Demonstratio.) Vtraq; igitur figura* $\epsilon\beta\alpha\gamma$, *&* $\delta\beta\gamma\zeta$ *est parallelogrammon. & parallelogrammon* $\epsilon\beta\alpha\gamma$, *est æquale parallelogrammo* $\delta\beta\gamma\zeta$. *quia super eadem basi* $\beta\gamma$ *est: & inter easdem æquedistantes lineas rectas* $\beta\gamma$, $\epsilon\zeta$: *&*

paralle-

parallelogrammi $\epsilon\beta\gamma\alpha$ dimidium est, triangulus $\alpha\beta\gamma$. nam diameter $\alpha\beta$ ipsum per mediũ secat. parallelogrammi verò $\delta\beta,\gamma\zeta$, dimidiũ est triangulus $\delta\beta\gamma$. nam diameter $\delta\gamma$ ipsum per medium secat. Quæ verò æqualium sunt dimidia: illa inter se sunt æqualia. triangulus igitur $\alpha\beta\gamma$, triangulo $\delta\beta\gamma$ est æqualis. Conclusio.) Qui igitur trianguli, sunt super eadem basi: & inter easdem lineas rectas æquedistantes: illi inter se sunt æquales. Id quod erat demonstrandum.

Propositio trigesima octaua. Theorema.

QVi trianguli, æquales habent bases: & sunt in eisdem æquedistantibus lineis rectis: illi inter se sunt æquales.

Explicatio dati.) Sint trianguli $\alpha\beta\gamma$, $\delta\epsilon\zeta$: super basibus æqualibus $\gamma\beta$, $\epsilon\zeta$: in eisdem æquedistantibus lineis rectis $\alpha\delta$, $\beta\zeta$. Explicatio quæsiti.) Dico quod triangulus $\alpha\beta\gamma$, sit æqualis triangulo $\delta\epsilon\zeta$. Delineatio.) Producatur linea recta $\alpha\delta$, in vtramq; partem ad puncta η, & θ. Ex puncto β, ducatur linea recta *βη, æquedistans lineæ rectæ αγ. Item ex puncto ζ, ducatur linea recta ζθ, æquedistans lineæ rectæ δε. Demonstratio.) Vtraque igitur figura ηβγα, δεζθ est parallelogrammon. & parallelogrammon ηβγα, est æquale parallelogrammo δεζθ. quia super basibus βγ, εζ. æqualibus: & in eisdem lineis rectis æquedistantibus βζ, ηθ sunt. præterea parallelogrammi αβγα dimidiū: est triangulus αβγ. quoniam diameter αβ, ipsum secat per medium. & parallelogrammi δεζθ dimidium, est ζεδ triangulus. quia diameter ζδ, ipsum secat medium. Quæ verò æqualium sunt dimidia: illa inter se sunt æqualia. quare triangulus αβγ, triangulo δεζ est æqualis. (Conclusio.) Qui igitur trianguli super basibus fuerint æqualibus: & in eisdem lineis æquedistantibus: illi inter se sunt æquales. Id quod erat demonstrandum.*

Propositio trigesima nona. Theorema.

TRianguli æquales, eandē habentes basim: & ex eadem parte, & in eisdem æquedistantibus rectis sunt.

Explicatio dati.) Sint trianguli αβγ. δβγ super eadem basi βγ. Explicatio quæsiti.) Dico quod etiam in eisdem sint lineis rectis æque distantibus. Delineatio.) Ducatur linea recta αδ. Explicatio delineationis.) Dico quod recta αδ, æquedistet rectæ βγ. Hypothesis.) Si enim ei non æquedistat: ducatur per punctum α, recta linea βγ, æquedistans recta αε: & ducatur linea recta εγ. Demonstratio.) Triangulus igitur αβγ, est æqualis triangulo εβγ, qui super eadem basi βγ est: et in eisdem lineis rectis æquedistantibus βγ, αε. verùm triangulus αβγ: est æqualis triangulo δβγ: idcirco & triangulus δβγ, triangulo εβγ est æqualis. maior minori. quod fieri nequit. Quare recta αε, non æquedistat rectæ βγ. Simili ratione demonstrabimus, quod nulla alia præterquam αδ recta, æquedistet rectæ βγ. recta igitur αδ, rectæ βγ æquedistat. Cõclusio.) Trianguli igitur æquales: eandem habentes basin: in eisdem sunt æquedistantibus rectis. Id quod erat demonstrandum.

Propo-

Propositio quadragesima. Theorema.

TRianguli æquales: super æqualibus constituti basibus: sunt in eisdem lineis rectis equedistãtibus.

Explicatio dati.) Sint trianguli æquales, αβγ, γδε: super basibus βγ, γε æqualibus. Explicatio quæsiti. Dico quod in eisdem sunt æquedistantibus lineis rectis. Delineatio.) Ducatur recta αδ. Explicatio delineationis.) Dico quod αδ, æquedistet rectæ βε. Hypothesis.) Si enim ei non æquedistat, ducatur per punctũ α, rectæ βε, æquedistans recta ζα: & ducatur recta ζε. Demonstratio.) Triangulus igitur αβγ: est æqualis triangulo ζγε. quia sunt constituti super basibus βγ, γζ æqualibus: & in eisdem lineis rectis æquedistantibus βε, αζ. sed triangulus αβγ, est æqualis triangulo δγε. quare triangulus δγε: etiam erit æqualis triangulo ζγε. maior minori. quod fieri nequit. nõ igitur recta αζ, æquedistat rectæ βε. Simili ratione demonstrabimus, quod nulla alia præterquam αδ. recta: æquedistet rectæ βε. Cõclusio.) Trianguli igitur æquales: super æqualibus constituti basibus: sunt in eisdem lineis

neis rectis æquedistantibus. Id quod erat demonstrandum.

Propositio quadragesima prima, Theorema.

PArallelogrammon, trianguli est duplum: si super eadem consistat basi: & in eisdem fuerit æquedistantibus lineis rectis.

Explicatio dati.) Parallelogrãmon $\alpha\beta\gamma\delta$, & triangulus $\epsilon\beta\gamma$: sint super eadem basi $\beta\gamma$, in eisdem æquedistantibus lineis rectis $\alpha\epsilon$, $\beta\gamma$. Explicatio quæsiti.) Dico quod parallelogrammon $\alpha\beta\gamma\delta$: sit duplum trianguli $\beta\epsilon\gamma$. Delineatio.) Ducatur recta $\alpha\gamma$. Demonstratio.) Triangulus $\alpha\beta\gamma$, est æqualis triangulo $\epsilon\beta\gamma$: quia super eadem basi sunt $\beta\gamma$: & in eisdem æquedistantibus lineis rectis $\beta\gamma$, $\alpha\epsilon$. sed parallelogrammon $\alpha\beta\gamma\delta$, est duplum trianguli $\alpha\beta\gamma$. quia $\alpha\gamma$ diameter ipsum mediũ secat. quare & parallelogrammon $\alpha\beta\gamma\delta$: trianguli $\epsilon\beta\gamma$ duplum erit. Conclusio.) Parallelogrammon igitur trianguli est duplum: si super eadem consistat basi: & in eisdem fuerit æque-

aequedistantibus lineis rectis. Id quod erat demonstrandum.

Propositio quadragesima secunda.
Problema.

DAto triangulo, aequale statuere parallelogrammon: in angulo rectilineo dato.

Explicatio dati.) Sit triangulus datus $\alpha\beta\gamma$: & datus angulus rectilineus δ. Explicatio quaesiti.) Dato triangulo $\alpha\beta\gamma$, statuendum est parallelogrammon aequale: in angulo qui est aequalis, dato angulo rectilineo δ. Delineatio. Dissecetur linea recta $\beta\gamma$ media in puncto ϵ: & ducatur linea recta $\alpha\epsilon$: atque statuatur ad lineam rectam $\epsilon\gamma$: & ad punctum eius ϵ: dato angulo rectilineo δ: aequalis angulus rectilineus $\gamma\epsilon\zeta$: postea ducatur per punctu α, lineae rectae $\gamma\epsilon$: aequedistans linea recta $\alpha\eta$: & per punctum γ, lineae rectae $\epsilon\zeta$, aequedistans linea recta $\gamma\eta$. Erit itaq; figura $\zeta\epsilon\gamma\eta$ parallelogrammon. Demonstratio.) Quoniam $\beta\epsilon$ est aequalis $\epsilon\gamma$: idcirco & triangulus $\alpha\beta\epsilon$, triangulo $\alpha\epsilon\gamma$ est aequalis: sunt enim super basibus

aequali-

æqualibus βε,εγ: & in eisdẽ lineis rectis βγ, αη, æquedistantibus, Quare αβγ triangulus: duplus est trianguli αεγ. verũ parallelogrammon εζγη: etiam est duplum trianguli αεγ: quia eandem habent basin εγ: & in eisdẽ sunt æquedistantibus lineis rectis εγ, ζη. Quare parallelogrammon εζγη: est æquale triangulo αβγ: & habet angulum γεζ, æqualem angulo δ. Cõclusio.) Dato igitur triangulo αβγ: statutum est æquale parallelogrammon εζγη, in angulo ζεγ, qui est æqualis, dato angulo rectilineo δ. Quod faciendum erat.

Propositio 43. Theorema.

OMnis parallelogrammi, eorum quæ circa eandem sunt dimetientem parallelogrammon supplementa: æqualia inter se sunt.

Explicatio dati.) Sit parallelogrammon αβγδ: dimetiens eius αγ: & circa αγ, sint parallelogramma εθ, ζη, & quæ vocantur supplementa sint βκ, κδ. Explicatio quæsiti.) Dico quod supplementum βκ, sit æquale supplemento γδ, Demonstratio.) Quoniam αβγδ

paralle-

parallelogrammon, diametrum habet $\alpha\gamma$: idcirco triangulus $\alpha\beta\gamma$, est æqualis triangulo $\alpha\delta\gamma$. Rursus quoniam $\epsilon\kappa\theta\alpha$ parallelogrammon: diametrum habet $\alpha\kappa$ lineam rectã: ideo $\epsilon\alpha\kappa$ triangulus, est æqualis triangulo $\alpha\theta\kappa$. per eadem demonstrabitur triangulum $\kappa\zeta\gamma$, triangulo $\kappa\eta\gamma$ esse æqualem. Cum igitur triangulus $\alpha\epsilon\kappa$, triangulo $\alpha\theta\kappa$ sit æqualis: & triangulus $\kappa\zeta\gamma$, æqualis triangulo $\kappa\eta\gamma$: erit itaq; triangulus $\alpha\epsilon\kappa$ cum triangulo $\kappa\theta\gamma$ æqualis triangulo $\alpha\theta\kappa$, cum triangulo $\kappa\zeta\gamma$. verùm totus triangulus $\alpha\beta\gamma$, toti triangulo $\alpha\delta\gamma$ est æqualis. quare reliquum supplementũ $\beta\kappa$, reliquo supplemento $\kappa\delta$ est æquale. Conclusio.) Omnis igitur parallelogrammi, eorum quæ circa eandem sunt dimetientẽ parallelogrammων supplementa: æqualia sunt inter se. Id quod erat demonstrandum.

Propositio quadragesima quarta.
Problema.

AD datam lineam rectam: dato triangulo: æquale statuere parallelogrãmon: in angulo rectilineo dato.

Expli-

Explicatio dati.) Sit data linea recta $\alpha\beta$: datus vero triangulus γ: datus angulus recti lineus δ. Explicatio quæsiti.) Ad datam lineam rectam $\alpha\beta$: statuendum est parallelogrammon, æquale triangulo dato γ: in angulo, qui est æqualis angulo δ dato. Delineatio.) Fiat triangulo γ, æquale parallelogrammon $\beta\epsilon\zeta\eta$: in angulo $\epsilon\beta\eta$, æquali angulo δ dato: & sit linea recta $\beta\epsilon$, ἐπ' εὐθείας recta $\alpha\beta$: atque producatur linea recta $\zeta\eta$, ad punctum θ. per punctum etiam α: educatur alterutri linearum $\beta\zeta\eta$, $\epsilon\zeta$ æquedistans linea recta $\alpha\theta$: denique ducatur linea recta $\theta\beta$. Demonstratio.) Quoniam in duas rectas æquedistantes $\alpha\theta$, $\epsilon\zeta$: incidit recta linea $\theta\zeta$. idcirco anguli $\alpha\theta\zeta$, $\theta\zeta\epsilon$ duobus rectis sunt æquales. atque ideo anguli $\beta\theta\eta$, $\eta\zeta\epsilon$ duobus rectis sunt minores, verum lineæ rectæ, à duobus angulis, qui sunt minores duobus angulis rectis: in infinitum vsque ductæ concurrunt. quare $\theta\beta$, $\zeta\epsilon$ productæ concurrent. Altera delineationis pars.) Producantur duæ lineæ rectæ $\zeta\epsilon$ $\theta\beta$: & concurrant in puncto κ: & per punctum κ, alterutræ linearum $\epsilon\alpha$, $\zeta\theta$, ducatur $\kappa\lambda$ æquedistans: atque producantur lineæ *rectæ ηβ, θα, ad puncta vsq; λ, μ. Demonstrationis altera pars.) Est igitur figura θλκζ parallelogrammon: eiusq; diameter θκ: circa dimetientem verò parallelogramma sunt αημε: dicta vero supplementa λβ, βζ. quare λβ supplementum, est æquale βζ supplemẽto. verùm βζ supplementum, est æquale triangulo γ. ergo & λβ supplementum triangulo γ est æquale. præterea quoniam angulus ηβε est æqualis angulo αβμ: & angulus ηβε etiam est æqualis angulo δ. idcirco & angulus αβμ, etiam est æqualis angulo δ. Conclusio.) Ad datam igitur lineam rectam αβ: dato triangulo γ: æquale constitutum est parallelogrammon λβ: in angulo αβμ, qui est æqualis angulo δ. Id quod erat faciendum.*

Propositio quadragesima quinta.
Problema.

DAto rectilineo: æquale statuere parallelogrammon: in angulo rectilineo dato.

Explicatio dati.) Sit datum rectilineum αβγδ: & datus angulus rectilineus ε. Explica-

plicatio quæsiti.) Dato rectilineo αβγδ: statuendum est æquale parallelogrammon: in angulo rectilineo, qui est æqualis angulo ε dato. Delineatio.) Ducatur linea recta βδ: & constituatur triangulo αβδ æquale parallelogrammon ζθ: habens angulum θκζ, æqualem angulo ε. statuatur etiam ad lineam rectam ηθ, parallelogrammon ημ, æquale triangulo δβγ: habens angulum κθμ æqualem angulo ε. Demonstratio.) Quoniã angulus ε alterutri angulo θηζ, ηθμ est æqualis: idcirco & angulus ηθμ, angulo θκζ est æqualis. cõmunis addatur angulus κθη. ergo duo anguli ζκθ, κθη: duobus angulis κθη, κθμ sunt æquales. verum duo anguli ζηθ, κθη duobus rectis sunt æquales. quare & anguli κθη, ηθμ duobus rectis sunt æquales. ad lineam rectam ηθ, & punctũ in ea datum θ in diuersas partes ductæ sunt lineæ rectæ κθ, θμ: atq; faciunt angulos ἐφεξῆς æquales duobus rectis: quare recta κθ, est ἐπ' εὐθείας rectæ θμ. Et quia in lineas rectas æquedistãtes κμ, ζη, recta quædam θη incidit: anguli idcirco alterni sunt inter se æquales: angulus μθη, æqualis angulo θκζ. Communis *addatur angulus θηλ. anguli igitur μθη, θηλ: angulis θκζ, θηλ sunt æquales. verum λθη, θηλ anguli sunt æquales duobus rectis. quare & anguli θκζ, θηλ, duobus rectis sunt æquales. quare recta ζη, est ἐπ' εὐθείας, rectæ ηλ. Cum vero κζ recta, rectæ θη sit æqualis, & æquedistans: item θη recta, rectæ μλ æqualis & æquedistans: idcirco & κζ recta, rectæ μλ æqualis & æquedistans est: easq; coniungunt rectæ κμ, ζλ. quare & κλ, ζμ æquales & æquedistantes sunt: vnde fit, quod figura κζλμ sit parallelogrammon. Cum autē triangulus αϐδ: sit æqualis parallelogrammo θζ: & triangulus δβγ parallelogrammo ημ. totum igitur rectilineum αβγδ: toti parallelogrammo κζλμ est æquale. Conclusio.) Dato igitur rectilineo αβγδ: constitutum est parallelogrammon κζλμ æquale: in angulo ζημ: qui est æqualis dato angulo ε. Id quod faciendum erat.*

Propositio quadragesima sexta. Problema.

A Data linea recta: describere quadratum.

Explicatio dati.) Sit data linea recta

cta $\alpha\beta$. Explicatio quæsiti.) A data linea recta $\lambda\beta$, describendum est quadratũ. Delineatio.) Ducatur ex puncto α, lineæ rectæ $\alpha\beta$: ad angulos rectos recta linea $\alpha\gamma$: & fiat rectæ $\alpha\beta$, æqualis recta $\alpha\delta$: per punctum etiam δ, lineæ rectæ $\alpha\beta$: ducatur æquedistans linea recta $\delta\varepsilon$: deniq; per punctum β, lineæ rectæ $\delta\varepsilon$: ducatur æquedistans linea recta $\beta\varepsilon$. Demonstratio.) Figura igitur $\alpha\beta\delta\varepsilon$, est parallelogrammon: & $\alpha\beta$, est æqualis $\delta\varepsilon$, atq; $\alpha\delta$ rectæ $\beta\varepsilon$: sed & $\alpha\beta$ etiam est æqualis rectæ $\alpha\delta$. quatuor igitur rectæ $\alpha\beta$, $\alpha\delta$, $\delta\varepsilon$, $\beta\varepsilon$, sunt inter se æquales, atq; idcirco parallelogrammon $\alpha\delta\varepsilon\beta$ est æquilaterum. Secũda explicatio quæsiti.) Dico quod parallelogrammon $\alpha\delta\varepsilon\beta$: etiam sit rectangulum. Demonstratio.) Cum in duas rectas æquedistantes $\alpha\beta$, $\delta\varepsilon$, recta quædam $\alpha\delta$ inciderit: anguli $\beta\alpha\delta$, $\alpha\delta\varepsilon$, duobus rectis sunt æquales: verùm angulus $\beta\alpha\gamma$, est rectus. idcirco & angulus $\alpha\gamma\varepsilon$, etiã est rectus. parallelogrãma verò angulos oppositos æquales: & latera opposita habẽt æqualia: quare vterq; angulorum oppositorum $\alpha\beta\varepsilon$, $\varepsilon\beta\delta$ est rectus: ideoq; $\alpha\delta\varepsilon\beta$ parallelogrammon, est rectangulum. sed

& æquilaterum esse, fuit demonstratum. Conclusio.) Quare $\alpha\beta\epsilon\gamma$ *figura, est quadratum: & est descriptũ à linea recta data* $\alpha\beta$. *id quod erat demonstrandum.*

Propositio quadragesima septima.
Theorema.

IN triangulis rectangulis, quadratũ lateris angulum rectum subtendentis: est æquale quadratis laterum, rectum angulum continentium.

Explicatio dati.) Sit triangulus rectangulus $\alpha\beta\gamma$, *habens angulum* $\beta\alpha\gamma$ *rectum. Explicatio quæsiti.) Dico quod quadratum lateris* $\beta\gamma$: *sit æquale quadratis laterum* $\beta\alpha$, $\alpha\gamma$. *Delineatio.) Describatur à linea* $\beta\gamma$, *quadratum* $\beta\delta\epsilon\gamma$: *& à linea* $\beta\alpha$, *quadratum* $\beta\eta$. *Præterea à linea* $\alpha\gamma$ *quadratum* $\gamma\theta$. *Ducatur etiam per punctum* α: *alterutræ linearum* $\beta\delta$, $\gamma\epsilon$ *æquedistans recta linea* $\alpha\lambda$. *deniq; ducantur duæ lineæ rectæ* $\alpha\delta$, $\zeta\gamma$. *Demonstratio.) Quoniam vterq; angulorum* $\beta\alpha\gamma$, $\beta\alpha\eta$ *est rectus, idcirco ad rectam quandam* $\beta\alpha$: *& ad punctum quod in ea est* α, *duæ rectæ* $\alpha\gamma$, $\alpha\eta$

in

in diuersas partes ductæ: faciunt angulos vicinos inter se æquales. quare recta γα est ἐπ' εὐθείας rectæ αη. per eadem ista demonstrabitur: quod recta αϐ, est ἐπ' εὐθείας rectæ αθ. quoniam verò angulus δγβ, æqualis est angulo ζβα (quia vterque est rectus) communis addatur angulus αβγ: totus igitur angulus δβα: toti angulo ζβγ est æqualis. cùm verò duo latera δϐ, βα, duobus lateribus βζ, ϐγ sint æqualia, alterum alteri: & angulus δβα, angulo ζβγ æqualis: basis igitur αδ, basi ζγ. est æqualis. & triangulus αβγ, triangulo ζβγ æqualis. verùm trianguli αβγ: parallelogrammon ϐλ est duplum. quia habent eandem basin βδ: & sunt in eisdem lineis rectis æquedistantibus βγ, αλ. Item trianguli ζϐγ, duplum est quadratum ηβ. quia habent eandem basin ζβ: & sunt in eisdem lineis rectis æquedistantibus ζϐ, ηγ. Quæ vero æqualium sunt dupla: illa inter se sunt æqualia. ideoque parallelogrammon βλ, æquale est quadrato ηβ. Simili ratione quando αε, γζ, rectæ coniunguntur: demonstrabitur quod parallelogrammon γλ, sit æquale quadrato ηγ. totum *igitur quadratum $\delta\epsilon\epsilon\gamma$: duobus quadratis $\eta\beta$, $\theta\gamma$, est æquale. sed $\beta\delta\epsilon\gamma$ quadratum: est descriptum à latere $\beta\gamma$, & quadrata $\eta\beta$, $\theta\gamma$ sunt descripta à lateribus $\epsilon\alpha$, $\alpha\gamma$. Quadratū igitur lateris $\beta\gamma$: est æquale quadratis laterū $\beta\alpha$, $\alpha\gamma$. Cōclusio.) In triangulis igitur rectangulis: quadratum lateris rectum angulū subtendentis: est æquale quadratis laterum rectū angulum cōtinentium, quod erat demonstrandum.*

Propositio quadragesima octaua.
Theorema.

SI quadratum vnius lateris trianguli; fuerit æquale quadratis reliquorum duorū laterum: erit angulus, quem reliqua illa duo trianguli latera continent, rectus.

Explicatio dati.) Sit quadratum lateris $\beta\gamma$, trianguli $\alpha\epsilon\gamma$, æquale quadratis laterum $\beta\alpha$, $\alpha\gamma$. Explicatio quæsiti.) Dico quod angulus $\beta\alpha\gamma$ sit rectus. Delineatio.) Ducatur à puncto α: lineæ rectæ $\alpha\beta$, ad angulos rectos linea recta $\alpha\delta$: & fiat linea $\alpha\delta$, æqualis rectæ lineæ $\alpha\delta$: deniq; ducatur linea recta $\delta\beta$. Demonstra-

monstratio.) Quoniam recta δα, est æqualis recta αγ: idcirco & quadratũ à recta δα descriptum: erit æquale, quadrato à recta αγ descripto. Commune addatur quadratũ rectæ αβ. quare quadrata rectarum δα, αβ: sunt æqualia quadratis rectæ βα, αγ. verùm quadratis rectarum δα, αβ: æquale est quadratum recta γβ: quia angulus δαβ est rectus. quadratis verò rectarum αβ, αγ: æquale proponitur esse quadratum rectæ δβ. Quare quadratum rectæ δβ: æquale est quadrato rectæ βγ. vnde etiam latus δβ: lateri βγ, est æquale. Quoniam verò latus αδ, est æquale lateri αβ: commune verò latus αγ: duo latera δα, αβ: duobus lateribus βα, αγ sunt æqualia: & basis δβ, est æqualis basi βγ. idcirco & angulus δαβ, angulo βαγ est æqualis. Verum angulus γαβ est rectus. quare & angulus βαγ etiã erit rectus. Conclusio.) Si igitur quadratum vnius lateris trianguli fuerit æquale quadratis reliquorum duorum laterum: erit angulus quem reliqua duo trianguli latera continent rectus. Id quod erat demonstrandum.

SCHOLIA IN HOC PRImum Euclidis elementum, Cunradi Dasypodij.

De scientijs Mathematicis.

Mathematicas scientias, sic dictas volunt: quòd cum alias artes etiam absque præceptore intelligere, & addiscere possimus: has tamen non nisi instituti, & edocti: imò in illis exercitati percipere queamus: vt à discendo disciplinæ, à μαθήσει, ἐπιστήμαι μαθηματικαὶ dicantur. Pythagorici autem mathematicæ nomẽ, duabus tantum scientijs Arithmeticæ, & Geometriæ imposuerũt: quoniam in his potißimum τὸ ἐπιστημονικόν, & ipsa μάθησις cerni potest. postea tamen nonnulli latius sumpto vocabulo: alias scientias hisce cognatas appellarunt Mathematicas, Astronomiam, Musicam, & quæ huius sunt generis. Hinc fit, vt Mathematica definiatur scientia contemplationem habens rerum, non tantum abstractarum, vt sunt numeri, & figuræ: sed & sensibus ipsis subiectarum, vtpote

pote cœli, terræ, stellarum, sonorum, tonorum, & quæcunque his sunt similia.

Hanc verò vniuersalem mathesin: in duas potissimum partes diuidunt: altera enim versatur circa res mēte & ratione perceptas: quæ Græcis nominantur τὰ νοητὰ, & διανοητά. altera verò τῶν αἰσθητῶν, rerum sensu subiectarum habet perceptionem: illa Geometriam, & Arithmeticam complectitur: hæc verò in sex est diuisa scientias, Geodæsiam, & Opticam: quæ ex Geometria nascuntur: Logisticam & Canonicam, prognatas ex Arithmetica: deniq; Mechanicam, & Astronomiam: quas ad vtramq; referri tradunt. Est & alia Mathematicæ diuisio: in quatuor partes tantum facta. quoniam μάθησις vel habet perceptionem quantitatis continuæ, vel quantitatis discretæ. Geometria enim, & Astronomia sibi habēt subiectas ipsas magnitudines: Geometria quidem eam, quæ est sine motu: Astronomia eam, quæ mouetur. sic etiam multitudinis & numerorum fit contemplatio, in Arithmetica, & Musica: illa enim numeros per se considerat: eorumq; proprietates inuestigat.

stigat: hæc verò numeros tractat relatos, quos etiam harmonicos appellant. Itaque vniuersalis quædam mathematica cognitio & doctrina est statuenda: sub se complectens reliquas disciplinas omnes: suaque principia, & vniuersales propositiones omnibus communicans: non quatenus numeris, aut figuris, vel denique motibus illa insunt: sed quatenus eorũ vniuersalis est natura: & talis, quæ singularibus illis disciplinis attribui potest. Sunt autẽ eiusmodi principia τὸ πέρας, καὶ τὸ ἄπειρον, finitum, & infinitum: quia numerus incipit ab vnitate, & in infinitum vsque crescit: is verò qui sumitur, finitus semper est: sic etiam magnitudines in infinitum vsque diuidi possunt: cũ tamen ea quæ diuiduntur: sint finita, & terminata. Propositiones verò mathematicæ communes sunt ista, in quibus contemplamur λόγους, ἀναλογίας, συνθέσεις διαιρέσεις, ἀναστροφὰς, ἐναλλαγὰς τὸ ἴσον, τὸ ἄνισον, id est, rationes, proportiones, compositiones, diuisiones, cõuersiones, alternas permutationes, æquale, & inæquale. deinde τὸ κάλλος, καὶ τάξις, ipsaque μέθοδος. præterea ὁμοιότης, καὶ ἀνομοιότης, similitudo

militudo, & dissimilitudo rerum in figuris, numeris, & motibus vniuersaliter considerantur. hæc inquam omnia, & his similia vnaquæque disciplina ad suam accommodat rem subiectam: eaq; ei inesse proprijs confirmat rationibus. Preterea Mathematicarum disciplinarum fastigium & vertex quasi est ipsa ἀποδεικτική. quia per ipsam hæ scientiæ perficiuntur: dum definitionibus, diuisionibus, demonstrationibus, & quicquid harum rerum est, vtuntur.

De Geometria, & eius elementis.

Proclus Geometriã sic definit: γεωμετρία ἐστὶ ἐπιστήμη γνωστικὴ μεγεθῶν, καὶ σχημάτων, καὶ τῶν ἐν τούτοις περάτων· ἔτι δὲ καὶ τῶν λόγων τῶν ἐν αὐτοῖς, καὶ παθῶν τῶν περὶ αὐτά, καὶ τῶν παντοίων θέσεων, καὶ κινήσεων. Geometria est scientia, vel cognitio magnitudinum, & figurarum, atq; etiam terminorum quibus illæ clauduntur: quæq; proportiones & rationes, atq; etiam passiones his accidentes demonstrat: positionum deniq; & motuum varietates explicat. Hæc scientia duplex est: altera nominatur θεωρία τῶν ἐπιπέδων: altera στερεωμετρία.

Plano

SCHOLIA.

Planorum contemplatio tanquam simplicior præcedit, siquidem ex superficierū contemplatione nascitur corporum & solidorum cognitio. in vtraq; verò tria (sicuti in omnibus scientijs) considerantur. Primum ὑποκείμενον γένος, res ipsa, de qua doctrina est instituta: alterum τὸ καθ' αὑτὸ ὑπάρχον: id quod rei per se inest: & τὰ πάθη, rerum affectiones tertium ἀξιώματα, καὶ αἰτήματα, propositiones: per quas rebus subiectis inesse aliquid demōstratur. illa itaq; in Geometria consideranda veniunt: nam vt ex definitione Geometriæ licet videre: subiecta sunt trianguli, quadrata, circuli, sphæræ, Cylindri, & vt summatim dicam, figuræ planæ corpora solida, deniq; omnes magnitudines immobiles, & harum termini. quæ verò his per se in sunt, διαιρέσεις, ἀφαὶ, παραβολαὶ, ὑπεροχὴ, ἔλλειψις, ἰσότης καὶ ἀνισότης, id est, diuisiones contactus, applicationes, excessus, defectus, æqualitas, & inæqualitas: cum alijs quibusdam huius generis. Axiomata, & petitiones; quibus singula rebus subiectis demonstrantur inesse: sunt huiusmodi: quæ eidem sunt æqualia: illa inter se

sunt

sunt æqualia. item à puncto ad punctum: ducere lineam rectam. Hæc verò cum late pateant: & ipsarum rerum subiectarum, atque propositionum geometricarũ magna, variaque sit copia: necesse est, vt delectus habeatur, & in tradendo, atque docendo incipiamus à simplicioribus, ac principalioribus: ex quibus tanquam notissimis: extruamus demonstrationes rerum in geometria abstrusarum. quas quidẽ simpliciores propositiones στοιχεῖα, earumque doctrinam στοιχειώσιν Græci antẽ nominant. sunt στοιχεῖα seu elementa Geometriæ, propositiones simplicißimæ, in quas compositæ resoluũtur: & à quibus tanquam principijs, omnes Geometricæ demonstrationes egressæ sunt. tales sunt hæ propositiones Euclidis, quibus Archimedes, Apollonius, & cæteri geometræ tanquã principijs, & notißimis elementis vtuntur. ita tamen hæc prima, & simplißima Geometriæ principia ab Euclide conscripta sunt: vt nemo satis poßit hominis & ingenium, & industriam mirari. quæ enim ab antiquis fuerunt inuenta, in optimum redegit ordinem: delectum etiam in tanta copia, & varietate propositi-

positionum habuit talem: vt non omnia quæ dici poterant, assumeret: sed tantum, quæ elementari institutioni conueniebant. deinde omnes modos, omniaq́ genera syllogismorum adhibuit, quæcunq́ ab ipsis apodeicticis recipiuntur. Præterea vtimur diuisionibus in inueniendis rerum speciebus: item definitionibus in substantiali rerum subiectarum explicatione: adhæc demonstratione in ijs: quæ à principijs fiunt ad quæsita: deniq́ resolutione cum à quæsitis ad ipsa principia fit reditus. Taceo de varijs, quibus vtimur conuertendi modis, continuatione, & dispositione singulari ipsorum elementorum: vt vnum absq́ altero videatur esse non posse. Quæ cum ita sint, meritò omnes studiosi philosophiæ, & bonarum artium: sibi hæc Euclidis elementa familiaria reddere debebant: vt ad altiores capescendas scientias fierent paratiores.

De propositionibus Geometriæ.

Solent Geometræ duo præcipua propositionum genera habere: vnum est τῶν ἀρχῶν *principiorum: alterum* τῶν μετὰ τὰς ἀρχὰς προτάσεων*: id est, propositionum, quæ principia se-*

pia sequuntur. principia ipsa, quia per se ma-
nifesta, & simplicia sunt: nulla adhibita de-
monstratione primo explicantur loco: subse-
quuntur propositiones demonstratione indi-
gentes: & ex ipsis demanantes principijs. &
nisi hic ordo teneatur, verùm permisceantur
omnia: tum & ipsa cognitio perturbatur: &
quæ natura sunt distincta, coniunguntur. Il-
lud ipsum facit Euclides, & principiorum fa-
cta enumeratione, absque vlla demõstratione:
transit ad propositiones demonstrabiles. diui-
dit verò ipsa in ὑποθέσεις, αἰτήματα, καὶ ἀ-
ξιώματα, ἢ κοινὰς ἐννοίας. Est autem ὑπό-
θεσις, cum aliquis rei propositæ cognitionem
nondum habet: quæ per se fidem rei faciat: ve-
rùm concedit assumẽti illud verum esse. eius-
modi sunt ipsæ definitiones Euclidis. Postu-
latum verò in genere est, cum neq; cognitum
quid est: neque ab audiente concessum: tamen
petitur ab alieno, vt assumi concedatur. sicuti
cùm peto mihi concedi: omnes angulos rectos:
æquales inter se esse. Axioma, vel pronuncia-
tum est, quando quid cognitum est, & tam
manifestum: vt per sese fidem habeat. vt quæ

eidem sunt æqualia: illa inter se sunt æqualia, totum maius est sua parte. Geometræ tamen hypotheseis vocant etiam ὅρους definitiones rerum subiectarum: vt si definiam lineam, angulos, figuras, & similia: quo sciatur, quibus de rebus sermo sit institutus. deinde αἴτημα, seu postulatum non sic sumunt vt Philosophi: sed postulatum vocant propositionem immediatam: in qua petitur aliquid quod factu est facile: & nulla indiget varia aut prolixa delineatione: vt si dicam, à puncto ad punctum: ducatur linea recta. Communis denique sententia Geometris dicitur propositio immediata: quæ per se manifesta, & cognitu perfacilis est, sine vlla demonstratione recepta: & communi omnium conseusu concessa. Itaque tria ista propositionum genera, in eo conueniunt: quod principiorum naturam habeant: ac per se sint manifesta. differunt verò, quòd hypothesis sit rerum subiectarum explicatio: postulatum proponit aliquid, quod factu sit facile: axioma rei per se manifestæ sit cognitio. Quidam verò petitiones dicunt tantum ad Geometriam spectare: axiomata verò ad omnes disciplinas.

nas. Alij diuidunt hoc modo ipsas communes sententias: vt quasdam Geometriæ, nõnullas Arithmeticæ proprias esse dicant: alias deniq; communes. atq; hæc sint paucis dicta de principijs. Propositiones verò, quæ principia sequuntur: & demonstrari possunt ac debent: aliæ sunt προβλήματα, aliæ θεωρήματα. Problemata dicuntur propositiones, in quibus aliquid nobis ad agendum proponitur. vt quando figurarum ortus, & constitutiones, sectiones, subtractiones, additiones, & similia proponuntur. Theoremata autem sunt, in quibus ad contemplandum quiddam proponitur. vt si ea, quæ rebus per se insunt, aut accidunt, consideramus. cuiusmodi dicuntur esse τὰ καθ' αὑτὰ ὑπάρχοντα ἢ συμβεβηκότα: vel etiam συμπτώματα, aut deniq; τὰ πάθη. Differunt itaq; inter se, sed non aliter quàm petitio, & axioma. Euclides vtroq; genere vtitur. nam iterdum tantum habet problemata, vt in quarto libro, interdum verò solum theoremata, sicuti in quinto: nonnunquam deniq; theoremata problematibus commiscet: vt in reliquis facit libris.

De primo libro.

Propoſuit ſibi Euclides in hoc primo elemento: principia figurarum rectilinearum tradere: nam triangulus & parallelogrammon, ſunt in figuris rectilineis omnium primæ, & ſimpliciſſimæ figuræ. Diuiſit verò librum in partes tres: in prima, poſt explicationem principiorum: docet quomodo triangulus ſit conſtituendus: quæ ſint eius proprietates: cùm quoad angulos: tum etiam latera: præterea eoſdem comparat inter ſe: & vnumquodq; accidens per ſe conſiderat: in altera de lineis æquediſtantibus, & parallelogrammis doctrinā inſtituit: demonſtrans quæ eis per ſe inſint: & quomodo ipſa fiant parallelogramma. in poſtrema, parallelogramma & triangulos inter ſe confert. primum ſeorſim, deinde coniunctim. Atq; hæc breuiter ſint dicta, & explicata: de vniuerſali illa rerum mathematicarū: & Geometriæ cognitione: nunc ſubiungemus perbreues locorum difficiliorum expoſitiones: & ſi quid forſan occurret: quod latius ſit explicandū, & ad vniuerſam Geometriam ſpectare videbitur; id fuſius exponemus. cuiuſ-

modi

modi est ille locus περὶ τοῦ πορίσματος, ἐνστάσεως ἀπαγωγῆς, & de ijs, quæ his similia.

Σημείων.) Alij sic definiunt: σημεῖον ἐστὶ μονὰς θέσιν ἔχουσα. punctum est vnitas, quæ positionem habet. solum punctum in Geometria diuidi non potest: sicut in Arithmetica vnitas non admittit diuisionem. sunt enim vnius, eiusdemq́ naturæ: quum duarum scientiarum omnium prima, & simplicißima sint principia: differunt tamen in eo, quòd punctũ dari & poni poßit: vnitas verò puncto simplicior existens nõ ponatur: cùm ab omni interuallo, omniq́ materia, ac loco sit abstracta. Vsitur autem definitione negatiua, quoniam negationes maximè conueniunt principijs.

Γραμμή.) Principium omnium magnitudinum sola negatione definiuit: lineam verò nunc describit affirmando, & negando. quia affirmatione excedit naturam puncti: & minus est simplex puncto: cùm sit longitudo diuisionem admittens: negatione verò est principium respectu superficiei, & corporis. sunt enim tres dimensiones: longitudinis quæ attribuitur lineæ, lõgitudinis & latitudinis simul:

quæ ad superficiem refertur: denique longitudinis, & latitudinis, atque profunditatis coniunctim in corpore. cum itaq; in definitione ponit ἀπλατὲς latitudine carens: vnà cum latitudine adimit quoque profunditatem: atque eam ob causam non addidit καὶ ἀβαθὲς, cùm superfluum esset. Alij sic definiunt lineam: γραμμή ἐστι ῥύσις τοῦ σημείου: id est, linea fit ex fluxu puncti: nonnulli γραμμὴν μέγεθος ὑφ' ἓν διαστατὸν nominant: magnitudinem vno contentam interuallo. Euclidis tamen definitio perfectior est: essentiam & substantiam lineæ explicans. Possumus autem lineã hoc modo cognoscere: si longitudines parietũ, aut itinerũ spatia dimetiamur, quia tum neq; latitudinem, neque craßitiem subiungimus: sed vnicam consideramus distantiam: sicuti cùm metimur prata, & campos: videmus ipsam tantum superficiem, id est longitudinem & latitudinẽ tantum eius loci, vel agri. Cùm verò puteos, tum est solidum, quia omnes distantiæ, omniaq; interualla ibi coniunguntur. dicimus enim longitudinis, latitudinis, profunditatis ipsius putei, tantum, vel tantum

esse

esse spatium. melius tamen cognoscemus lineam, quando obseruamus quomodo lucidum ab obscuro: illuminatum ab obumbrato distinguatur.

Εὐθεῖα.) *Duæ simplicissimæ, ac præcipuæ linearum species sunt, recta & circularis: reliquæ omnes sunt mixtæ: & vel in superficiebus planis: vel in corporibus solidis considerantur. Plato lineam rectam definit sic:* εὐθεῖα γραμμή ἐστι· ἧς τὰ μέσα τοῖς ἄκροις ἐπιπροσθεῖ: *cuius media obumbrant extrema. quod licet videre in Eclipsi solis, quando in vna linea recta sunt Sol, Luna, & oculus noster: Luna media inter nos & Solem existente. Archimedes definit lineam rectam sic:* εὐθεῖα γραμμή ἐστιν ἐλαχίστη τῶν τὰ αὐτὰ πέρατα ἐχουσῶν γραμμῶν, *est breuissima earum linearum, quæ eosdem habent terminos. atque hæc definitio explicat Euclideam, & vicissim illa declarat hanc.*

Ἐπιφάνεια.) *Post punctum & lineam sequitur superficies, quæ duplici interuallo distat lõgitudine, & latitudine: caret verò crassitudine: atq; eam ob causam addidit particulam* μόνον.

Ἐπιφανίας δὲ.) *Sicut corpus solidũ clauditur, & terminatur superficie: sic & superficies linea finitur, & linea puncto. quod quidẽ est omnium magnitudinum communis, & simplicißimus, atq; extremus terminus.*

Ἐπίπεδος ἐπιφάνεια.) *Omnis superficies vel est plana, vel circularis, & sphærica. vnam igitur Geometra delegit, eamq; definit, nempe planam. possunt ei etiam congruere definitiones lineæ rectæ supra positæ: in hac autẽ plana superficie nos tanquam in aliquo subiecto contemplamur figuras, & figurarum affectiones. nam in plana superficie nos ducimus lineas rectas, circulares, & figuras omnis generis: item linearum, circulorum, & figurarum sectiones, contactus, applicationes angulorum, constitutiones, & quicquid harum est rerum. sed planam superficiem idcirco elegit, quoniam in alijs superficiebus ista omnia non possunt ita intelligi, aut describi, quemadmodum in plana. Vocat itaq; hic planũ id, quod nobis ante oculos est positum: & in quo mente atque cogitatione omnia describimus, & delineamus, atq; firmis rationibus confirmamus.*

Ἐπί-

Ἐπίπεδος γωνία.) *Genus definitionis est κλίσις, inclinatio: locus autem in quo describitur angulus, est τὸ ἐπίπεδον, planũ ipsum: ortus verò eius est, quòd ad minimum duæ debent esse lineæ rectæ: sicuti in solido angulo, lineæ tres: deinde illæ duæ lineæ rectæ: debent sese mutuo tangere: neq; sitæ esse in directo. illud enim est ἐπ' εὐθείας, quando duæ lineæ rectæ ita collocatæ sunt: vt protractis istis lineis rectis, & concurrentibus, vna ex duabus fiat linea recta.*

Ὅταν δὲ.) *Enumerat species substantiales anguli rectilinei, definitionibus acuti & obtusi anguli: est addendũ genus: quod scilicet vterq; sit rectilineus, alter maior recto, alter verò recto minor. Verum nõ absolute illud est sumendum, quod omnis angulus recto minor, sit acutus: quia sunt anguli nonnulli etiam non rectilinei minores recto, & tamen non acuti: sicut neq; illud simpliciter sumitur, quod obtusus sit recto maior, & idcirco omnes recto angulo maiores sunt obtusi. quoniam sunt anguli recto maiores, qui non sunt obtusi.*

Συνθεῖσα.) *Rectam super recta constituit* *in definitione anguli recti: non autem in anguli obtusi aut acuti descriptione. quia angulus rectus, est angulorum non rectorum mensura: sicuti æqualitas, est regula & norma inæqualitatis.*

Ἀλλήλαις.) *Possunt enim æquales esse, sed si inter se æquales sint: necesse est ut sint recti.*

Ἐφεξῆς.) *Indicat causam rectitudinis: quia si anguli contigui inter se sunt æquales, rectus erit vterq; illorum æqualium angulorum. nam stans illa recta in neutrum inclinat partem: & idcirco causa est non æqualitatis tantum, sed & rectitudinis. Traditur verò hic de angulis, qui sunt in vno eodemq; plano: sicuti & perpendicularis non qualibet hic definitur: sed illa tantum, quæ in vno, eodemq; est plano.*

Κύκλος.) *Prima simplicissima, atq; perfectissima figura plana est circulus, vt in corporibus solidis sphæra.*

Σχῆμα.) *Quia vno comprehenditur termino.* ἀφ' ἑνός. *sunt enim infinita in circulo puncta: quorum omnium vnum tantum centri nomen & naturam retinet.* Ἐντός.) *ad*

diffe-

differentiam eius puncti, quod extra circulum sumitur: & polus dicitur: omnia enim in vno sunt plano. idcirco etiam statim definitionem illius puncti subiungit, vt sciamus nō polum, sed centrum intelligi.

Διάμετρος.) *Circulo propriè conuenit: nam ἄξων vel axis est ipsius sphera: διαγώνιος verò figurarum quadrilaterarum.*

Ημικύκλιον.) *Semicirculum inquit circuli diametro & circumferentia comprehendi: propter τμήματα segmenta circulorum, quorum alterum μείζων maius, alterum ἔλαττον minus dicitur.*

Ευθύγραμμα.) *à figura quæ vno termino, ad eam quæ duobus comprehenditur, est progressus: nunc ad alias pergit explicandas: idq; iuxta ordinem numerorum, binarium, & ternarium, & ita deinceps. quamuis vltra quadrilateras figuras, quæ in elementis locum habent, non progreditur specialiter: verùm sub vno vocabulo comprehendit: & eas nominat τὰ πολύπλευρα, multilateras figuras. Omnis igitur figura rectilinea, vel est trilatera: vel quadrilatera: vel gradatim multilatera:*

sed

sed non è contra omnis trilatera, quadrilatera, aut multilatera est rectilinea.

Τριπλεύρων.) *Triangulorum duplex est diuisio: vna per se manifesta, & cognita sumpta ab ipsis lateribus: altera quæ eam subsequitur est propria ab ipsis angulis facta.*

Τετραπλεύρων.) *Præcipua diuisio quadrilaterarum figurarũ hæc est: aliæ dicuntur parallelogramma: aliæ nõ parallelogramma. quæ verò parallelogramma dicuntur: aliæ rectangula, & æquilatera sunt: vt* τετράγωνον *quadratum: aliæ verò horum neutrum habẽt, vt* τὸ ῥομβοειδὲς, *Rhombi speciem habens. nonnulla verò sunt quidem rectangula: sed nõ æquilatera, vt* ἑτερομηκὲς, *parallelogrammon altera parte longius: deniq; sunt parallelogramma, quæ æquilatera quidem, sed non rectangula sunt, vt est* ῥόμβος, *Rhombus. Figuræ verò quadrilateræ, quæ non sunt parallelogramma: aut duo tantum habent parallela latera, & sunt* τραπέζια: *aut nulla prorsus parallela latera, & nominantur* τραπεζοειδῆ, *speciem trapezij habentia. Verum Euclides hanc diuisionem facere non potuit,*

cùm

tùm de parallelis lineis aut figuris hisce lineis contentis nulla sit facta mentio: idcirco simpliciorem illam facit diuisionem τετραπλεύρων.

Καὶ πᾶσαι ὀρθαὶ) *Quidam iuxta Peripateticos volunt hanc propositionē esse αἴτημα, petitionem: alij verò & melius ἀξίωμα, pronuntiatum. Cùm nunc paucis absoluerimus principia: restant propositiones demonstrabiles. omnis enim scientia vel versatur in principiorum explicatione: quas sine vlla demonstratione adhibita recipit: vel in doctrina propositionum earum, quæ ex ipsis demanāt principijs: & per ea demonstrantur: quare & nos illas aggrediamur.*

De partibus problematis, atque Theorematis.

Propositiones quæ demonstrationem admittunt, suprà duplices constituimus esse: vel enim sunt προβλήματα, problemata: in quibus ea, quæ quodammodo nondum existunt comparare, & constituere proponitur: vel θεωρήματα, theoremata, in quibus id quod

iam

iam constitutum est, & in rerum natura existit, cognoscere, & perspicere statuimus. Geometria enim, vt & aliæ scientiæ, habet omnes quatuor quæstiones: an sit, quid sit, quale sit, & quare sit: de quibus quidem omnibus sermonem instituit ipsa Geometria, vt apud Euclidem videbimus. Omne verò problema, omneque theorema, quod suis perfectum, & absolutum est partibus, hæc in se habet: πρότασιν, ἔκθεσιν, διορισμὸν, κατασκευὴν, ἀπόδειξιν, καὶ συμπέρασμα, id est, propositionem, in qua est δεδομένον, datũ, & ζητούμενον, quæsitum: deinde explicationem dati: tertio explicationem quæsiti: quarto delineationem: quinto demonstrationem: sexto & postremo conclusionem totius. Nam in propositione quid de re subiecta, vel ipsò dato quæratur, proponitur. perfecta enim propositio, & datum, & quæsitum habet, quamuis nõnullæ sint, quæ altero careant: postea ἔκθεσις ipsum datum per sese considerat, & ipso quæsito quasi præparat & struit viam. διορισμὸς seorsim proponit quid de subiecto quæratur. Delineatio verò solet ea addere, quæ ad inuestigationem quæsiti pertinent:

tinent: ipsa autem demonstratio, adhibitis certis atque firmis, priusq́ concessis & affirmatis rationibus: id de subiecto dici, quod proponitur, confirmat. tandem facta ipsa demonstratione: conclusio redit ad ipsam propositionem, eamq́ confirmatam, & demonstratam iam esse colligit: solet verò interdum duplex esse, vna specialis in ipsa delineatione, & demonstratione facta: altera generalis, quæ totã confirmationem propositionis datæ colligit vniuersaliter.

Ex his vniuscuiusq; problematis, aut theorematis partibus maximè necessariæ sunt istæ tres. Propositio, demonstratio, & conclusio: reliquæ interdum adhibentur, & id vt plurimũ interdum non adhibentur, vt in Arithmeticis fit, & in decimo Euclidis libro.

Πρὸς τῇ δοθείσῃ.) Sunt quædam in Geometria, quæ nobis solent in medio demonstrationis cursu occurrere: qualis etiã in hac propositione est πτῶσις, casus. dicitur autẽ casus nihil aliud esse: quam delineationis transpositio, quæ fit propter diuersas positiones. ab hoc casu quædã propositiones dicũtur Græcis ἄπτωτοι

περιβλήπροβλήματα, problemata quæ carent casu, quando vna tantum est positio, & delineatio: siquidem casus respiciunt ipsam delineationē: quædam verò nominantur πολύπτωτα proble mata multos casus habentia: in quibus aliter atque aliter fieri possunt dtlineationes. Hoc itaq; secundum problema, multos habet casus: varias etiam delineationes. nam cum punctū detur positione, illa fieri potest varijs modis: vel enim ponitur extra datā lineam rectam, vel in ipsa linea recta: & si in ipsa, aut erit al terum extremorum: aut inter ipsa extrema: & si extra ipsam, aut à latere, ita vt recta protracta à puncto ad datam lineam rectam, angulum faciat, aut è directo. Euclides sumpsit casum difficiliorem, & punctum extra lineam rectam datam à latere eius ponit.

Δοθείσῃ εὐθείᾳ.) Omne datum vel datur θέσει, positione, vel λόγῳ, ratione, vel μεγέθει, magnitudine, vel εἴδει, specie. positione tantum datur ipsum punctum: linea verò, & reliqua Geometriæ subiecta. omnibus modis. hoc tamen in loco linea recta datur εἴδει specie, est enim linea recta & θέσει positione.

Δύο

Δύο δοθεισῶν.) *In hac propositione lineæ dantur magnitudine: ipsa delineatio multos habet casus: nam aut distant inter se, vt apud Euclidem: aut in vno puncto coniunguntur: aut sese mutuo secant: aut altera alteram in extremo alterius puncto tantum secat: & vel maior minorem, vel minor maiorem: & quicunq; eiusmodi fieri possunt casus. Veruntamen ad omnes huiusmodi casus, Euclidis demonstratio accommodatur.*

Ἐὰν δύο τρίγωνα.) *Prius docuit trianguli constitutionem, quàm ea explicaret, quæ per se triangulis accidunt: præterea duabus propositionibus ostendit viam et methodum, qua lineæ rectæ, facienda sit alia recta æqualis. altera quidem non existentem facit per σύστασιν, constitutionem, & θέσιν, positionem æqualem. altera verò per ἀφαίρεσιν, ablatione͂, idq; fecit vt latera laterib. posset æqualia proponere. dantur in hac propositione duo, æqualitas laterum duorum, & angulus angulo æqualis: idq; datum ratione dari dicitur: quæruntur tria, basis basi, triangulus triangulo æqualis: reliqui denique anguli reliquis angulis æquales.*

Εκάτερον ἑκατέρῳ.) *Quia aliâs Theorema verum non esset: idcirco nõ simpliciter inquit latus lateri æquale, sed alterum alteri. possent enim duo latera simul iuncta duobus simul iunctis esse æqualia: sed non idcirco triangulus esset triangulo æqualis.*

Υπὸ τῶν ἴσων.) *Hoc addidit ne sumeremus basin: nam in triangulis duo latera dicuntur angulum aliquem comprehendere* περιέχειν, *tertium verò* ὑποτείνειν *subtendere: nam latera quæ angulis opponuntur è regione, sunt* ὑποτείνουσαι πλευραὶ, *latera subtendentia, & interdum* βάσεις *bases dicuntur, quòd tanquam fundamento figura ipsa hoc nitatur latere.*

Τρίγωνον.) *Intelligit aream ipsam triangularem, seu spatium ipsum, quod à trianguli lateribus intercipitur.*

Demonstratio tota facta ex his duabus propositionibus, quæ inter se applicata conueniunt: æqualia erunt: & vicißim. Quæ inter se sunt æqualia: si applicentur, conuenient etiam inter se.

Τῶν ἰσοσκελῶν.) *Theoremata apud Geo-*

metras

metras magnam habent varietatem. alia enim sunt ἁπλᾶ, simplicia, in quibus vnum est datum, & vnum quæsitum: quorum & data, & quæsita diuidi & seiungi non possunt. Vt si dicat Euclides; omnis triangulus æquicrurus: habet angulos ad basin æquales. alia composita σύνθετα, quæ ex pluribus vel datis, vel quæsitis constant. vt data sint plura, & vnum quæsitum: vel plura quæsita, & vnum datum, vel denique plura data, & plura quæsita. composita sunt duplicia: quædam dicuntur συμπεπλεγμένα, quæ possunt in alia simplicia theoremata diuidi: vt cum dico trianguli, & parallelogramma sub eadem altitudine existentia: eam habẽt rationem, quam basis ad basin. de vtroque enim, & triangulo, & parallelogrammo seorsim eadem dici possunt. Quædam verò ἀσύμπλεκτα, quæ cũ sint composita, in simplicia tamen theoremata diuidi non possunt: quale est præcedens theorema quartum. Est & alia diuisio theorematum, de qua alibi. Hoc theorema ex vtraq; parte, dati nempe, & quæsiti compositum est: idcirco etiam distinxit, quæ data sint & quæ quæsita.

Ἐὰν τριγώνου.) In hac propositione duo nobis occurrunt explicanda: primum est ἀναστροφὴ τῶν προτάσεων: alterum ἀπαγωγὴ εἰς τὸ ἀδύνατον. Est autem ἀναστροφὴ τῶν προτάσεων: quando ex dato alicuius propositionis, fit quæsitum: & ex quæsito datum. vt triangulus æquicrurus, id est, habens duo æqualia latera: etiam angulos ad basim habet æquales, per ἀναστροφὴν, conuersionem sic. Triangulus qui angulos ad basim habet æquales: etiam est æquicrurus, id est, duo habet æqualia latera: nam propositio quinta hic cõuertitur iam dicto modo. Est etiam alia conuersionis ratio in propositionibus compositis obseruata: quæ fit permutatione partium, etsi non omnium, tamẽ aliquarum: vt fit in octaua propositione: quæ conuertitur cum quarta. Quare notemus hic esse duo genera propositionum: vnum est τῶν προηγουμένων, quando id quod natura subiectum est, datur: quodúe illi per se inest, quæritur de eodem: alterum τῶν ἀντιστροφῶν, cum è contrario σύμπτωμα seu accidens quoddam datur: et id, cui hoc accidit, in quæstionem adhibetur. vt in his duobus li-

bus licet videre propositionibus, quinta, & sexta. Proximum est, vt dicamus de ἀπαγωγὴ εἰς τὸ ἀδιώατον, de reductione ad impoßibile. sciendum itaq; est, quòd omnis demonstratio mathematica, vel fit ἀπὸ τῶν ἀρχῶν, quæ ab ipsis principijs ad ea, quæ ex his demanant, progreditur: vel ἐπὶ τὰς ἀρχὰς, dum à re proposita regressus fit ad principia. vtraq; verò est duplex: illa enim vel ex principijs rem propositam confirmat: vel ex rebus antea affirmatis, & conceßis: hæc autem vel est θετικὴ, & nominatur ἀνάλυσις, cui opponitur σιώθεσις: vel ἀναιρετικὴ, & dicitur ἀπαγώγὴ εἰς τὸ ἀδιώατον. est autem reductio ad impoßibile: quando in aliquod manifestum absurdum, & impoßibile desinimus: & cuius contrarium omnes fatentur esse verum: eam quoq; faciunt bifariam: vel enim nos deducit ad ea, quæ principijs, ipsisq; axiomatibus manifestè repugnant, vt si quis sua argumentatione eò deueniat, totum esse æquale parti: vel ad id, quod demonstratis, & affirmatis è directo opponitur: sicuti facit in demonstratione propositionis octauæ. fit igi-

tur reductio ad impossibile, cùm id quod quæsito repugnat, accipimus pro vero: & ita progrediendo tandem in manifestum absurdum incidimus: quo deniq; sublato, id confirmamus, quod ab initio erat propositum, verum esse. Hæc demonstrandi forma syllogismis vtitur hypotheticis, quemadmodum in directis demonstrationibus vtimur categoricis. Hoc in loco Euclides conuersione est vsus in propositionis partibus: deductione verò in ipsa delineatione, ac demonstratione.

Επὶ τῆς αὐτῆς.) *In geometria, & Arithmetica, vt plurimum sunt propositiones vniuersales affirmatiuæ: verum Euclides hîc posuit negatiuam, sed omnibus additamentis ita eam muniuit: & tam certam, atq; indubitatam reddidit: vt minimè conuinci possit: quamuis non magnum in Geometria vsum habeat: tamen præcipuè posita est ad confirmandam octauam propositionem.*

Τῶν δοθείσων.) *Angulus hic datur specie tantum: potest enim omnibus quatuor modis dari, nempe positione, cùm ad certum quoddam punctum constituitur: forma deinde, vt*

si po-

si ponatur esse rectilineus: ratione verò, quando duplum triplúmue statuo: deniq; magnitudine, si dicam eam esse tertiam recti partem.

Πεπερασμένην.) *Omnis enim linea recta aut est finita ex vtraq; parte; aut ex altera tantum finita, et ex altera infinita: aut deniq; ex vtraq; parte infinita.*

Κάθετον εὐθεῖαν.) Κάθετος *perpendicularis etiam dicitur* γνώμων*: & eandem habet naturam cum ea, quæ nominatur* ἡ πρὸς ὀρθὰς γωνίας. *est autem duplex: vna plana, altera solida. plana perpendicularis est: quando à puncto aliquo, ad lineam rectam in eodē plano existentem alia linea recta ducitur: vt anguli contigui sint æquales; quam in hoc loco antea ducere præcepit. Solida, quæ in Stereometria consideratur, dicitur quando punctum in alio fuerit plano: & non ad rectam, sed ad aliud planum ducitur linea quædam ad angulos rectos. differunt igitur inter se: quia perpendicularis est in eodē plano, & ducitur ad lineam rectam: solida verò nō in vno eodemq; plano, nec etiam ad rectam, verum ad planum ducitur: deniq; in solida id consi-*

derandum, quòd ad omnes quæ in eo sunt plano rectas, non ad vnam tantum, vt plana, debet esse perpendicularis.

Απειρον.) Quæ pro nostro sumitur arbitrio satis longa vel breuis, longior vel breuior: vt visum fuerit necessarium esse ad rei demonstrationem.

Κατὰ κορυφὴν.) Differunt anguli ἐφεξῆς, & anguli κατὰ κορυφὴν: quòd anguli ἐφεξῆς contigui fiunt per lineam, quæ alteram non secat: sed anguli κατὰ κορυφὴν per lineas duas sese secantes, sic dicti sunt, quod vertices in vno coniungant puncto.

Εκ δὴ τούτου.) Locus hic expostulat vt aliquid dicamus de corollario. in elementis igitur πορίσματα, seu corollaria sunt propositiones, quæ dum aliæ demonstrantur, simul apparent, & manifestæ fiunt: nobis etiam non quærentibus, aut inuestigantibus eas. quale est hoc præsens πόρισμα. dum enim proponitur, quod duabus lineis rectis sese secantibus, anguli ad verticem sint inter se æquales: et firmis demõstratur rationib. in ipsa occurrit nobis demonstratione: quatuor illos angulos es-

los esse æquales, quatuor rectis. Itaq; lucrifecimus per ipsam hanc propositionem, hoc πόρισμα. tripliciter verò diuiduntur: primum enim omne corollarium vel est Geometricũ, vel Arithmeticum, vel alterius scientiæ, vt iam dictum, proprium est Geometriæ. In septimo verò Euclidis libro, propositione secunda, est Arithmeticum. deinde quædam corollaria sequuntur ipsa problemata: quædam verò theoremata: nam in hoc loco theorematis corollarium habemus: verum in libro secundo problematis. tertiò alia corollaria sunt demonstrationis directæ: alia verò indirectæ. sicuti hoc præsens porisma, natum est ex demonstratione directa: sed in propositione prima libri tertij: facta demonstratione per reductionem ad impossibile, nascitur corollarium. possunt & alia porismatum discrimina tradi: nobis tamen hæc monstrasse satis est.

Ἐκτὸς γωνία.) *In definitionibus mentionem fecit diuisionis angulorum substãtialis: nunc alia est facienda eorum diuisio per accidens. omnis angulus vel est ἐντὸς, vel ἐκτὸς. id est, omnis angulus vel est intra ipsam figu-*

ram, vel extra eam. deinde anguli quidam sunt ἐφεξῆς, quidam ἀπ' ἐναντίον, id est, contigui, aut oppositi. in triangulis igitur sic se res habet, quando aliquod trianguli latus extenditur: nascitur angulus qui ad ipsam trianguli substantiam non pertinet, & cùm extra figuram existat: nominatur externus. Verum ex illis tribus, qui ad triangulum pertinent: vnus qui ei est proximus, nominatur contiguus, reliqui verò duo oppositi: respectu eius, qui extra triangulum est.

Παντὶ μεταλαμβανόμεναι) Est Geometrica phrasis, qua vtimur, dū volumus ostendere, quouis modo sumi vel latera, vel aliquod aliud Geometriæ subiectū, aut accidēs per se.

Explicauit Euclides quæcunq; in primis illis elementis poterant dici, de triangulorum constitutione, æqualitate, aut inæqualitate eorundem, aut etiam laterum, & angulorum: nunc pergit de quadrilateratis figuris enarrare ea, quæ ad eorum contemplationem elementarem pertinēt. Cùm verò ex lineis æque distantibus fiant eiusmodi figuræ: prius earū proprietates docet, & parallelogramma constituit:

stituit: postea persequitur doctrinam de figuris quadrilateris, seu parallelogrammis. est autem παραλληλόγραμμον figura quæ circumscribitur lineis rectis æquedistantibus, atque oppositis inter se.

Tria itaque in lineis parallelis sunt consideranda, quæ eis per se insunt: & ita attribuuntur: vt inde cognoscere possimus lineas rectas esse æquedistantes. Primum est, vt anguli ἐναλλὰξ alterni (qui fiunt per lineam rectam in alias duas rectas incidentem) sint inter se æquales. Alterum, recta linea incidente in duas alias rectas: si anguli interni fuerint duobus rectis æquales: tum propositæ duæ rectæ sunt æquedistantes. Postremum, Recta linea secante alias duas rectas: si externus angulus, angulo interno sibi opposito ex eadem parte, fuerit æqualis: iterum erunt illæ rectæ æquedistantes.

ἡ εἰς τὰς.) Hoc Theorema conuertitur cum ambobus præcedentibus. in demonstratione vtitur propositione, quæ inter principia est relata: sed principium non est.

Παντὸς τριγώνου.) Ea quæ decima sexta, & de-

& decima septima propositione erant omissa: in hac præsenti addit, et quanto minores sint, explicat: nempe tertio, & huius propositionis: maxima est vtilitas.

Αἱ τὰς ἴσας.) *Hæc propositio finit doctrinam linearum æquedistantium: & incipit parallelogrammorum traditionem.*

Τῶν παραλληλογράμμων.) *Postquam constituit parallelogrammon: inuestigat tria quæ parallelogrammis per se insunt. Primum latera opposita esse æqualia. Secundum, angulos oppositos esse æquales. Tertium, diametrum per medium ipsam secare figuram. Ita fit, vt à lateribus ab angulis, & ab ipsis areis, proprietates inquirat parallelogrammorum.*

Παρὰ τὴν δοθεῖσαν.) *Tria sunt apud Geometras vocabula:* παραβολὴ, ὑπερβολὴ, *&* ἔλλειψις. *cùm enim figura applicatur ad lineam rectam: vt neque excedat, neque deficiat: est tum* παραβολὴ *applicatio. quando verò excedit* ὑπερβολὴ: *cùm deficit* ἔλλειψις, *atque in Conicis figuris maximè considerantur ista.*

Ἀπὸ

Ἀπὸ τῆς.) *Videtur Euclides voluisse præstantiores figuras rectilineas describere: in triangulis, eum quem æquilaterum nominamus: in quadrilateris figuris ipsum quadratū.*

Ἀναγράψαι.) *Vtitur hoc verbo, quoniam ab vno latere describitur:* συςήσασθαι *verò est, cùm ex multis constituitur.*

Ἐν τοῖς ὀρθογωνίοις.) *In hoc, & sequenti theoremate vtitur* λήμμασι, *id est assumptiuis propositionibus, vtpote: Quæ ab æqualibus rectis lineis descripta sunt quadrata: illa sunt æqualia inter se. item æqualium quadratorum æqualia sunt latera.*

In quibusdam etiam propositionibus vtitur alijs λήμμασι, *assumptionibus, quas hic subiungam.*

I. Si prima magnitudo fuerit æqualis magnitudini secundæ: & secunda maior sit tertia: erit etiam prima maior quàm tertia.

II. Si prima magnitudo fuerit maior secunda: & secunda sit æqualis tertiæ: erit etiam prima maior quàm tertia.

III. Si

SCHOLIA.

III. Si prima magnitudo fuerit maior quàm secunda: et secunda maior sit quàm tertia: erit etiam prima longè maior quàm tertia. Sunt & alia huius generis, de quibus aliâs.

EX SCRIPTIS HIERONIS Alexandrini de Geometricis definitionibus selecta quædam in vsum Academiæ Argentinensis.

PVnctum est, cuius nulla est pars: aut terminus sine interuallo: vel terminus lineæ. eius verò natura talis est: vt ratiõe tantum percipiatur: quia nullam habet partem, neq; vllam magnitudinem. ideoq; aiunt punctum tale quippiam esse: quale est id quod in temporis consideratione præsens & instans est tempus atq; momentum. imò tanquam vnitas quæ positionem habet. Itaq; patet punctum quo ad substantiam idem esse cum vnitate. Sunt enim ambo talia, quæ diuidi nequeunt,

queunt, & incorporea atq; partis expertia existunt) differunt tamen superficie & habitudine. Vnitas etenim est principium numeri: punctum verò principium substantiæ geometricæ. sed est principium ipsa expositione, non autem vt pars lineæ: sicuti vnitas est pars numeri: simul tamen percipitur. nam quando mouetur, vel potius imaginamur moueri, illud intelligimus in lineæ fluxu. vnde etiam punctum est principium lineæ: superficies verò est principium corporis solidi.

Linea verò est longitudo absque latitudine: vel primum quod in magnitudine habet subsistentiam: aut id quod vnico interuallo constans diuidi potest. Fit autem linea, quando ex superiore loco deorsum fluit punctum: atq; eius notio comprehenditur per continuationem, finiturq; punctis: ipsamet existens superficiei terminus. Dicetur itaq; linea esse idipsum quod distinguit radium solarem ab vmbra: aut vmbram à parte illuminata: quodue in veste intellecta atq; concepta tanquam continuo separat purpuram à lana: & econtra lanam à purpura. Nunc ergo cum consuetudine

quadam

quadam habeamus lineæ notitionem: quia longitudinem tantum habet: non autem latitudinem aut profunditatem: ideo dicimus parietem exempli gratia esse centum vlnarum: neque illius respicimus aut latitudinem aut craßitiem. sic quoq; viam quinquaginta stadiorum, vbi longitudinem tantum, non autem latitudinem stadiorum inquirimus. quasi linearis sit hæc ipsa enumeratio: quam & Euthimetricam nominant.

Lineæ aliæ sunt rectæ, aliæ rectæ non sunt: atq; ex ijs quæ rectæ non sunt: nonnullæ quidem circulares existunt, quæ & circumferentiæ nominantur. quædam verò speciem habent helicæ, reliquæ sunt curuæ. Est itaque linea recta quæ ex æquo inter sua est posita puncta. erecta existens, & tanquam ad extremum extensa ad extremitates: eaq; est vicinißima omniũ linearũ, quæ inter duo puncta ductæ, eadem habent externa puncta: cuius quoq; partes omnibus partibus omni modo applicatæ solent conuenire. deniq; recta linea est quæ manentibus extremis: ipsa quoque manet immota. tanquam ea quæ vertitur in

eodem

eodem plano. atq; circa eadem extrema perpetuo eundem tenet locum. neq; verò vna recta, neq; duæ figuram facere possunt. Circulares lineæ sunt, quæcunq; circulariter, vel circa vnum punctum ad extremum extensæ, vel circulos, vel circulorum partes absoluunt: solæ ex omnibus alijs lineis efficientes figuram. Curuarum atq; flexarum linearum numerus est infinitus. aliæ siquidem in easdem partes habent sua concaua: nonnullæ verò non habent. Linea ergo flexa concaua in easdem partes est: quando duobus in ea sumptis punctis quibuscunq;: recta quæ illa coniungit puncta: vel in ipsam cadit lineam: vel intra eam: nunquam verò extra ipsam. quæ verò hoc modo se non habet: non est flexa concaua linea in easdem partes. Helix autem seu helica linea in plano quidem est, quando alicuius lineæ rectæ altero extremo manente, mota ipsa in plano fuerit: donec ad eundem redeat locum: simul punctum aliquod circumfertur: quod cum recta simul moueri cœperat à manente extremo. linea illa itaque quæ per hanc rectam fit, est circulus: linea verò altera quæ *fit per punctum quod circumfertur ad lineam rectam, appellatur helix vel helica.*

Quando parallelogrammi alicuius vno latere rectum angulum ambientibus manente: ipsum parallelogrammum quidem circumuoluitur, donec ad eum vnde cœperat moueri locum redeat: atq; simul cum parallelogrammo punctum aliquod circumuoluitur in linea æquidistante non manente: atq; illud ab altero extremo incipiat: tum figura motu parallelogrammi facta nominatur Cylindrus: illa verò quæ fit per punctum quod circumfertur linea: fiet helica: cuius quæuis pars cuiuis parti applicata conuenit: quando eius concaua in easdem fuerint partes.

Superficies est quæ longitudinem & latitudinem tantum habet: aut terminus atque finis corporis & loci, vel magnitudo duorum interuallorum: vel etiam finis & terminus cuiusuis figuræ solidæ aut planæ apparens in duobus longitudinis scilicet atq; latitudinis interuallis. Fit autem fluxu lineæ secundum latitudinem fluentis à dextris ad sinistra. Intelligitur autem superficies esse omnis vmbra,

bra, omnisq; color. vnde & Pythagoræi super ficies appellarunt colores. Sic intelligetur etiam quando aër terræ miscetur: aut corpori alio solido: vel aër aquæ: aut aqua poculo, vel simili alicui vasi. Superficies plana est, quæ ex æquo inter suas posita est lineas rectas. recta existens explicata: quam cum recta linea in duobus punctis tangit: etiam tota ipsa omni loco omnimode applicata conuenit. hoc est quæ toti lineæ rectæ applicata conuenit. præterea breuissima ex omnibus quæ ijsdem continentur terminis superficiebus: cuius deniq; omnes partes applicatæ conuenire solent. Superficies verò non planæ sunt: quæ hoc modo se non habent: hoc est quæ secundum lineam rectam non sunt explicatæ, sed quandam habent inæqualitatem: neq; per omnia sunt erectæ.

Corpus solidum est: quod longitudinem, latitudinem, & profunditatem habet: vel quod tribus vtitur interuallis. Vocantur autem corpora solida: ipsa loca. Corpus itaq; mathematicum est, quod tria habet interualla: sed corpus simpliciter dicitur, quod tribus constat interuallis cum repercussione aut duritie atq; reflexione. Omne verò corpus terminatur atq; finitur superficiebus: atq; fit quando superficies ab anterioribus ad posteriora ducitur.

Angulus est ad vnum punctum contractio: quæ fit atq; perficitur per superficiem aut lineam refractam. appellatur verò refracta linea: quæ si protrahatur ipsa sibi ipsi concidit. Anguli autem omnes aut sunt plani, aut solidi: atq; hi plani & solidi anguli: alij sunt rectilinei, alij verò rectilinei non sunt. Communiter itaq; planus angulus est, inclinatio duarum linearum in eodem plano sese mutuo tangentium, & non è directo positarum. Sunt autem non continuæ sese mutuo tangentes lineæ: quando atera protracta suo nutu in alteram non incidit. Aliter. Angulus planus est inclinatio lineæ in plano ad vnum punctum, vel contractio ad vnum punctum per lineam fractam. Angulus verò planus rectilineus nominatur, quando lineæ quæ eum continent fuerint rectæ. vel enim angulus planus est nutus & counio linearum inter se, in eo-

dem

dem plano, aut lineæ rectæ ad vnum punctum reflexio. atq; sic Pythagorei angulos hos appellarunt glochinos, hoc est, cuspidales angulos. Angulorum quidem in planis superficiebus non rectilineorum: est infinita multitudo: rectilineorum verò angulorum species sunt tres. alij siquidem recti, alij acuti, alij deniq; obtusi vocantur. Angulus itaq; rectus est, qui est opposito angulo æqualis. Oppositi verò anguli sunt, quos facit recta super recta stans. Nam si recta super recta fuerit constituta: feceritq; angulos cõtiguos inter se æquales: tum vterq; æqualium angulorum est rectus. Acutus est angulus qui minor est recto: obtusus qui recto maior. Nam si recta super recta constituta fecerit angulos inæquales: tum minor nominatur acutus: maior verò obtusus. Omnis itaq; angulus rectus: omni recto est æqualis, non autem omnis acutus omni acuto æqualis erit: neq; omnis obtusus omni obtuso æqualis. quia cùm recta super recta fuerit constituta, atq; ab angulo recto declinauerit: tum eousq; minuitur acutus angulus: donec in vnum coeant duæ lineæ rectæ, & altera alteri congreditur: seu altera in alteram incidit. sic etiam recta super alia recta constituta, & ab angulo recto declinãte, eousq; maior fit angulu obtusus, donec perpendicularis quasi resupinata incumbens rectæ: ei quæ subiecta est continua fiat. Angulus itaq; rectus: et tempus præsens seu instans: deniq; vnitas: eodem se habent modo. nam angulus rectus idem existens consistit. cùm tamen acutus & obtusus in infinitum vsq; mutentur. sic & vnitas eadem permanet: diuisio verò & compositio numerorum circa ipsam fit: eodem modo tempus præsens seu instans: & ipsum consistit: præteritum verò & futurum in infinitum procedit. Angulus solidus communiter est contractio ad vnum punctum, quando superficies ex ijsdem partibus habuerit concaua. Atq; aliter: Angulus solidus est qui pluribus quàm duobus planis angulis continetur: vel contractio solida ad vnum punctum superficiei refractæ ad lineam: quæ etiam protracta: ipsa sibijpsi non coincidit. Intelligitur verò protracta esse, quando non apparet totam suam longitudinem egressa esse: sic & planum protractum

tractum esse intelligimus. Propriè tamen anguli rectilinei solidi appellantur, quorum superficies quæ angulos faciunt: continentur angulis rectilineis: vt pyramidũ et polyedrorum atque cuborum, anguli verò solidi non rectilinei sunt, qui hoc modo se non habent, vt anguli conorum.

Figura est, quæ termino vel terminis quibusdam continetur: aut est id quod inclusum est vno vel pluribus finibus atque terminis. hoc est id quod bene figuratum & effermotum existit. Alio etiam modo dicitur figura ab eo quod est finis & limes includens figuratum. nominatur verò figura à fingendo, hoc est ab eo quod est inclusum, aut quod includit. Differt verò id quod continet à termino atque fine. quia & punctum est terminus atque finis, verum non efficit figuram, termini verò figurarum sunt superficies & lineæ. & sic termini scilicet appellantur à distinguendo & terminando aliquousque ipsam figuram, hoc est, ostẽdunt figurarum fines & extremitates. Figuræ verò aliæ quidem sunt planæ, aliæ verò solidæ. planæ quæ in eodem plano omnes habẽt lineas: solidæ autem, quæ in eodem plano non omnes habent lineas. Atq; ex figuris quæ in superficiebus existunt, nonnullæ sunt incompositæ: quædam verò compositæ. incompositæ quidem quæ ex lineis factæ non sunt. compositæ autem quæ ex lineis fiunt: figurarum verò compositarum & in superficiebus existentium: aliæ sunt factæ & compositæ ex partibus eiusdem generis: aliæ verò ex partibus alterius generis, vt sectores sicuti vocant circulorum & semicirculi, & hapsides & maiora circulorum segmenta. eodem nomine appelpellari possent menisci seu lunulæ & reliquæ huius generis figuræ.

Circulus est figura plana vnica linea contēta. figura ipsa appellatur circulus: linea verò figurā ipsam continens circumferentia: ad quam omnes rectæ à puncto quod in figura est ductæ: sunt inter se æquales. Si itaq; punctum illud in eodem fuerit plano: appellatur centrum: sed si in eodem plano non fuerit, polus dicitur, vt se res habet in circulis sphærarum. Alio modo etiam circulus nominatur: figura quæ ad omnes partes æqualia facit interual-

la: fiu

la: fit verò circulus, quando recta quædam linea, in eodem existens plano, vno extremo manente, alterum circumductum ad eundem redit locum, vnde cœperat moueri.

Diameter verò circuli est recta quædam linea per centrum ducta: & ex vtraq; parte circumferentia circuli terminata: quæ etiam circulum secat in duas partes æquales: vel est recta per centrum vsq; ad circumferentiã ducta. Semicirculus est figura, diametro & circuli circumferentia intertexta contenta: vel figura diametro & circumferentia circuli contenta. Commni nomine segmentum circuli est, siue sit maius siue minus semicirculo: figura quæ recta & circuli circumferentia continetur. Angulus in segmento circuli est, quando in circumferentia segmenti sumptum fuerit aliquod punctum: à quo puncto ad extremitates lineæ rectæ ductæ fuerint rectæ aliæ; ille inquam angulus duabus hisce rectis contentus.

Sector circuli est figura duabus rectis & vnica circumferentia contenta. vel est figura contenta rectis, quæ quemuis in circulo ad cen trum constitutum angulum comprehendunt: et circumferentia circuli illis intercepta. Omnis verò circumferentia iuxta intelligentiam quidem ad figuram comprehensam: nominatur Caua: sed secundum intelligentiam eius quod figuram comprehendit, conuexa.

Meniscus seu Lunula est figura duabus contenta circumferentijs, vel duobus circulis non circa vnum idemq́ centrum existentibus. excessus concauæ & conuexæ superficiei: vel etiam figura quæ clauditur duabus circumferentijs habentibus concaua in easdem partes. Corona est figura duabus conuexis circumferentijs contenta: vel excessus duorũ circulorum circa vnum idemq́ centrum. Pelicis seu securis est figura quatuor comprehensa circumferentijs duabus concauis, & duabus conuexis. Sed vt in vniuersum dicam figurarum planarum circumferentijs contentarum multitudo innumera est: taceo earum, quæ in superficiebus existunt. Figuræ planæ rectilineæ, aliæ quidem sunt triangulares seu trilateræ: aliæ quadrangulares aut quadrilateræ: nonnullæ deniq; in infinitum

mul-

multangulæ & multilateræ. Triangulus itaque est figura plana tribus lineis rectis contenta; atque tres habens angulos. Generalißimæ vero triangulorum aut trilaterarum figurarum species sunt sex. à lateribus quidem alij trianguli nominantur æquilateri, alij æquicruri, quidam scaleni. ab angulis verò denominati quidam rectanguli, nonnulli oxigonij, reliqui amblygonij, atqui triangulorum rectangulorum duo sunt genera: triangulus æquicrurus, & triangulus scalenus: propterea quòd non sit triangulus rectangulus æquilaterus. cæteri omnes trianguli non rectanguli, excepto æquilatero non duas tantum habēt naturas: sed in infinitum vsq; egrediuntur numerum. Est verò triangulus æquilaterus, quando tria habet æqualia latera, & tres æquales angulos. Æquicrurus autem cùm duo tantum æqualia habet latera. Scalenus deniq; triangulus, quicunq; tria habet inæqualia latera. Triangulus rectangulus est, qui vnum habet angulum rectum: oxygonius qui tres habet acutos. Ambligonius qui vnum habet angulum obtusum.

Quare

Quare trianguli æquilateri omnes sunt oxygonij: verum æquicruri & scaleni: alij sunt rectanguli, alij oxigonij, quidam amblygonij.

Figura plana quadrilatera est: quæ quatuor continetur lineis rectis: & quatuor habet angulos, quarum aliæ sunt æquilateræ, aliæ verò æquilateræ non sunt: & quæ æqualia habent latera: nonnullæ sunt rectangulæ, aliæ verò rectangulæ non sunt. Itaq; figuræ quadrilateræ rectangulæ appellantur quadrata: rectangulæ verò, sed non æquilateræ: oblongæ seu altera parte lõgiores: sic quoq; quadrilateræ figuræ, quæ æquilateræ quidẽ sunt: non autem rectangulæ dicuntur Rhombi. denique quæ neq; latera habent æqualia, neq; angulos rectos: sed latera tantum opposita æqualia, & angulos oppositos æquales: vocantur Rhomboeidea. Præterea ex figuris quatuor lateribus contentis quædam nominantur parallelogramma: aliæ verò parallelogramma non sunt. Parallelogramma ergo sunt quæ latera opposita habent æquedistantia: quæ verò hæc sic non habent, neq; parallelogramma vocabuntur. Sed parallelogramma rectangula, di-

cuntur

cuntur rectis angulum rectum comprehendentibus contineri. Nam illud parallelogrammum est maximum eorum, quæ lateribus æqualibus continentur, quod est in angulo recto, quia infinitum intelligimus. Ea verò parallelogramma quæ fiunt diuersa, & inter se differentia lateribus quibus continentur: & aream differentem habentia: fiunt minora: illud autem quod angulum habet rectum, est maximum. ideoq; cùm acuti anguli semper minores inueniantur: ij qui metiri volebant hasce figuras: terminum & finem seu modum posuerunt doctrinam de angulo recto aut figura rectangula quadrilatera. Omnis verò parallelogrammi eorum parallelogrammorum quæ circa eius diametrum sunt vnum quodcunq; illud sit: cum duobus complementis appellatur gnomon. In vniuersum verò gnomon est id quod assumit qualecunq; concinnum, vel qualemcunq; numerum (vt Georgius Valla inquit) atq; totam ipsam figuram facit similem ei quod assumpsit. Præter iam numeratas figuras quadrilateras: aliæ nominantur Trapezia: alia Trapezoidea.

Sunt

Sunt autem Trapezia quæcunq; duo latera habent æquidistantia. Trapezoidea verò, quæ nulla habent æquedistantia latera. Ex trapezijs verò quædam sunt æquicrura, quædam verò scalena. æquicrura quidem quæ habent latera nõ æquedistantia inter se æqualia: Scalena verò quæ latera non æquedistantia habent inæqualia. Figuræ multilateræ planæ sunt, quæ pluribus quàm quatuor rectis lineis continentur, vt sunt pentagona, hexagona, et sic continenter progrediendo in infinitum, reliqua polygona.

Basis dicitur figuræ planæ, linea inferiore intersecta loco: & latus figuræ planæ est linea vna ex ijs quæ figuram claudunt. Diagonius vel diagonalis est recta linea ab angulo in angulum ducta. Kathetus seu perpendicularis est recta linea à puncto aliquo ad rectam aliam ducta. Kathetus verò ad angulos rectos dicitur: quæ angulos contiguos facit rectos in linea recta super qua est erecta. Æquedistantes lineæ vocantur quæ nunquã concurrunt: & quæ in eodem plano existentes: atq; ex vtraq; parte protractæ, ex neutra

tamen

tamen concurrunt: quæ neq; annuunt neque abnuunt in eodem plano: sed perpendiculares omnes habent æquales, quæ à punctis vnius lineæ, ad alterius lineæ puncta ducuntur. Æquedistantes verò non sunt, quæcunq; annuentes perpendiculares faciunt maiores. Trianguli altitudo nominatur recta perpendicularis, à vertice ad basim ducta.

Stereometriæ nomina.

Superficies in figuris solidis aliæ quidem dicuntur esse incompositæ: aliæ verò compositæ. Sunt autem incompositæ, quæcunq; protractæ ipsæ in seipsas incidunt, vt superficies sphæræ. Compositæ verò quæcunq; protractæ sese mutuo secant. Ex superficiebus autem compositis: aliæ factæ sunt ex diuersarum & dissimilium generum: aliæ ex similium generum partibus. ex dissimilium quidem vt superficies conorum & cylindrorum, atq; aliarum huiuscemodi figurarum. ex similium verò sunt superficies solidorum rectilineorum. Quanquam & iuxta aliam diuisionem superfi-

perficies in figuris solidis quædam sunt simplices, quædam mixtæ. Simplices sunt in solidis planis, superficies sphærica: mixtæ autem conica atq; cylindrica & his similes. nam hæ sunt mixtæ ex plana & circumferentiali. Speiricæ enim mixtæ sunt ex duabus circumferentijs. sunt etiam aliæ plures, vt compositæ, sic mixtæ infinitæ. Lineæ in solidis figuris aliquæ quidem sunt simplices, nonnullæ verò mixtæ. simplices quidem lineæ rectæ & circumferentiales. mixtæ, vt sunt conicæ & speiricæ, atq; hæ sane sunt ordinatæ; inordinatarum verò linearum infinitus est numerus, sicuti & compositarum.

Sphæra est figura solida vnica superficie contenta, ad quam ab vno puncto in medio sphæræ posito: omnes lineæ rectæ productæ sunt inter se æquales. vel est figura solida, extremis partibus rotunda, ita vt à medio omnes distantias omnifarie habeat æquales. Nam quando Semicirculi alicuius diametro manente, ipse semicirculus circumducitur: atq; redit in eum vnde cœperat moueri locum: tum superficies, quæ fit per semicirculi circumfe-

cumferentiam appellatur superficies sphæri-
ca. solidum autem ita comprehensum: sphæra
vocatur. medium verò huius figuræ solidæ
seu sphæræ punctum, nominatur centrum.
Diameter verò sphæræ appellatur axis, atq;
est linea recta quædam per centrum ducta,
terminata ex vtraq; parte in sphæræ superfi-
cie immutabilis permanens. circa quam sphæ
ra ipsa mouetur & vertitur. Extremitates
vel extrema puncta axis appellantur Poli.
quod si sphæra secetur, tum sectio fiet circulus.
Circuli polus in sphæra dicitur punctum, in
superficie sphæræ, à quo omnes lineæ rectæ, ad
circumferentiam ductæ: sunt inter se æqua-
les. Sicuti verò in figuris planis isoperime-
tris: circulus est maxima figura plana: ita in
figuris solidis isoperimetris: maxima est fi-
gura sphærica: ideoq; capacissima, & quæ in
se comprehendit cætera omnia.

Conus est figura solida, habens basim cir-
culum, & ad vnum punctum in vertice con-
tractum: quòd si enim à puncto sublimiori ad
circuli circumferentiam ducta fuerit linea
quædam recta: eaq; fuerit circumducta, donec

in eum vnde ceperat moueri, locum redeat: figura quæ hoc modo fit, conus erit. Aliter. Quando trianguli rectanguli vno latere manente, quæ rectum continent angulum: triangulus iste circumducitur, donec redeat ad eum, vnde ceperat moueri locum: figura quæ hoc fit modo, est conus. atq; comprehensio facta per subtendens latus trianguli appellatur conica superficies. figura verò solida comprehensa, Conus. Basis coni, circulus ipse. vertex eius punctum sublime. Axis coni recta à vertice ad centrũ circuli ducta: hoc est recta illa immobilis & permanens, circa quam conus vertitur. Æquicrurus conus dicitur, qui latera trianguli habet æqualia. Scalenus verò conus, qui est inæqualis. Rectangulus conus est, quando latus immobile, fuerit æquale lateri circumducto. vel quo facto per axem coni angulus qui in superficie fit, fit rectangulus. Oxigonius conus est, cuius latus immobile maius est quàm quod circumducitur: vel quo facto, triangulus qui fit, est oxigonius. Amblygonius conus est, cuius latus immobile minus est, quàm quòd circumducitur: vel quo

secto,

secto, triangulus qui fit in superficie, est triangulus amblygonius. Colurus conus appellatur, qui habet verticem mutilum & truncatum. Superficies verò coni nunc conuexa, nunc concaua dicitur. Si autem conus sectus fuerit, per verticem: efficit triangularem illam sectionem. sed si basi æquedistanter secetur, facit circulum: quod si non æquedistanter sectus sit, efficit aliud quoddam lineæ genus: quod solemus appellare consectionem. Ex quibus sectionibus coni, alia dicitur rectangula, alia verò amblygonia, est quæ oxygonia appellatur. Oxigonia itaq; est quæ sibiipsi coniuncta, & seipsam tangens: efficit figuram arealem: quæ à quibusdam nominatur Elleipsis. Sectio verò rectangula parabole: denique Amblygonia hyperbole dicitur.

Cylindrus est figura solida, quam perfici & absolui intelligimus, quando parallelogrammum rectangulum circumuoluitur circa vnum ex lateribus immobile & fixum latus parallelogrammi, quod quidem parallelogrammum si reuertatur vnde ceperat moueri, efficit cylindrum. Atq; recta immobilis circa quam cylindrus vertitur, appellatur axis. & eius basis sunt circuli, qui fiunt per æqualia parallelogrammi latera. Sed cylindri sectiones: aliæ sunt parallelogramma, aliæ verò oxygoniorum conorum sectiones. Secatur verò solidum corpus per superficiem, superficies per lineam, linea per punctum. Interdum verò dicitur per lineam secari, facto respectu & collatione ad punctum, sic & superficies per superficiem secatur, facto respectu & collatione ad lineam.

Speira fit, quando circulus aliquis in alio circulo centrum suum habens: atq; erectus ad circuli planum: circumductus in eum vnde cœperat moueri locum redierit: atq; eadem hæc figura nominatur orbis. Est autem disiuncta seu discontinua speira, quæ habet disiunctionem: coniuncta aut continua, quæ concidit in vno puncto. atq; minor fit, permutaturq; ea, in qua circulus circumductus seipsum secat: fiunt autem & harum figurarum sectiones propriæ quædam lineæ. atq; orbes quadrati sunt discisiones cylindrorum. Fiunt autem & alia multa prisinata ex sphspeiris &

ris &

ris & superficiebus mixtis.

Figuræ solidæ rectilineæ, quædam sunt Pyramides, aliæ cubi, nonnullæ polyedra, sunt quæ prismata docideis & Plinthideis, & sphinisci appellantur: aliæq; his similes. Pyramis est figura solida superficiebus planis contenta: atque ab vno plano, ad vnum punctum constituta. Aliter verò sic definitur. Pyramis est figura facta, & in vnum punctum contracta, à basi trilatera, aut quadrilatera, aut polygona, hoc est, vt vno dicam verbo, à basi rectilinea per triangulorum compositionem. Propriè tamen pyramis æquilatera dicitur, quæ quatuor triangulis æquilateris continetur: & angulis. vocatur verò hæc figura alio nomine Tetraedrum. Eicosaedrum est figura solida, viginti triangulis æquilateris contenta. Sunt autem quinque tantum eiusmodi figuræ solidæ, quæ æqualibus & similibus superficiebus continentur: atq; postea à Græcis nominatæ fuerunt figuræ Platonicæ. hæc autem quinq; figurarum latera, rationem habent ad sphæram, & Euclides libro 13. elementorum demonstrauit, quo-

modo has quinq; figuras sphæra comprehēdat: nam Euclides tantum duas Platonis putat esse figuras. Archimedes verò tredecim ait inueniri tales figuras: quæ sphæræ inscribi poßint: dum his quinq; octo adiungit: quas tamen & ipse Plato esse sciebat, vt quidam volunt. Tessarecædecaedron manifestum est constare ex octo triangulis, & sex quadratis: quódue, vt Pythagoræi volunt, ex terra & aêre factum & compositum est: sicuti illud etiam antiquis quibusdam notum fuit. Aliud quoddam corpus constat ex octo quadratis, & sex triangulis: quod videtur difficilius esse. Vniuersaliter tamen dicemus figuras solidas rectilineas quasdam esse pyramides, alias prismata, nonnullas neq; pyramides, neq; prismata. quid autem pyramis sit, antea est dictum. Octaedrum est figura solida octo contenta triangulis æquilateris. Dodecaedrum est figura duodecim contenta pentagonis æquilateris, & æquiangulis. Verum pentagonum ex quo fit dodecaedrum, est æquale tribus triangulis ad duo latera. Cubus est figura solida sex contenta quadratis æquila-

quila-

quilateris & æquiangulis. vocatur etiam hæc figura hexaedrum. Prismata verò sunt quæ à basi rectilinearum figurarum compositionem connectunt ad figuram rectilineam. Figuræ verò quæ neque pyramides, neque prismata existunt: sunt quæ à basi rectilineæ figuræ per rectilineam compositionem ad rectam connectunt. Vocantur autem prismata quædam parallelopleura, quæ scilicet hexaedra existentia: habent plana opposita æquedistantia. Sunt autem plana æquedistantia, quæ si protracta fuerint, non concurrunt inter se, vel in quibus descriptis æqualibus & similibus triangulis aliquibus: vnumquodque latus est æquedistans. Kathetus seu perpendicularis in solido dicitur recta, quæ à puncto sublimi ad planum ducta: omnibus rectis eam in eodem plano tangentibus, esse ad angulos rectos. Prismata autem parallelopleura quædam sunt rectangula, quædam verò rectangula non sunt. Rectangula quidem quæcunque habent lineam rectangulorum, tribus angulis contentam. Quæ verò sic se non habent: illa etiam non sunt rectangula. Do-

cis est figura, cuius longitudo latitudine & crassitie maior est. interdum verò habet latitudinem & crassitiem aequales. Crassities autem profunditas & altitudo eadem dicitur esse. Plinthis est figura, quae habet longitudinem minorem latitudine & profunditate: nonnunquam haec sunt inter se aequalia. Sphe niscus est figura solida, quae habet haec omnia inter se inaequalia, longitudinem, latitudinem, & profunditatem: quidam hanc figuram etiam appellant bomiscum (à specie veterum ararum.)

Affectiones rerum geometricarum & stereometricarum.

Tangit autem linea lineam, superficiem, & corpus, in puncto & in linea. punctum verò si alterum tanget punctum, fiet vnum punctum. sic & linea lineam tangens, tota totam: similiter fiet vna. Recta verò circulum dicetur tangere: quae circulum tangens si producta fuerit: ex neutra tamen parte circulum secabit. Circuli verò sese mutuo tangere dicuntur: qui cùm sese mutuo tangunt; non secant sese. Recta verò ad planum

num

num erecta est, quando ad omnes lineas rectas quæ ipsam in eodem plano tangunt, fecerit angulos rectos. Planum verò ad alterum planum erectum est: quando lineæ rectæ in vno aliquo eorum plano, communi ipsorum sectioni ad angulos rectos ductæ: etiam reliquo plano ad angulos rectos fuerint.

Æquedistantia plana sunt: quæ nunquam concurrunt. Differunt in solidis & in planis. atq; etiam lineis, similitudo & æqualitas. Sic enim in sexto Euclidis elementorum. Duabus datis figuris rectilineis, alteræ similem quidem figuram: alteræ verò æqualem propositum est constituere. atq; in ea propositione medium proportionale inuenientes: per eam medietatem id quod propositum est, probamus: in solidis verò per duas medietates. Nunc verò dicemus vniuersaliter de æqualibus quidem, quòd æquales lineæ, superficies, corpora sint: quæcunq; tota totis, vel genere vel figuratione conueniunt. dicitur etiam æquale, quod est isoperimetrum ambitu et comprehensione, & æquale lineis: vnde & area atq; sola area. Anguli æquales sunt: qui ap-

plicati toti totis, in planis & solidis eadem contractione vel genere, vel figuratione conueniunt. Æquales verò circuli sunt, quorum diametri sunt æquales inter se. quia nequit fieri vt intelligamus ab iisdẽ diametris alium atq; aliũ circulum fieri. sed si diameter fuerit data: etiam circulus datus erit magnitudine. Æqualiter verò à centro distare dicuntur lineæ rectæ: quando à centro ad ipsas ductæ perpendiculares fuerint æquales. Longius verò distare in quam perpẽdicularis maior incidit. Figuræ verò solidæ æquales & similes sunt: quæ continentur planis æqualibus, similiterq; positis, numero, & magnitudine æqualibus.

Similes figuræ rectilineæ sunt, quæ habent ad vnum angulos æquales. & aliter. quæ angulos ad vnum habent æquales: & latera æquales angulos continentia æqualia. Reciprocæ figuræ sunt: in quibus in alterutra figura sunt rationes antecedentes & consequentes. Similia circulorum segmenta sunt, quæ angulos recipiunt æquales: vel in quibus anguli sunt æquales. Simili ratione & sphærarum segmenta: similes figuræ solidæ sunt, quæ

simi-

similibus similiterq; positis planis continentur. Omnis verò circulus, omni circulo similis est specie: quia circuli generatio seu procreatio, est vna eademq; sic species eius vna. sed segmentorum non eadem est similitudo. sed quæcunq; similem habent inclinationem, hoc est angulos in ipsis existentes inter se æquales: illa appellantur similia. dissimilia verò, quæ se ita non habent. Eodem modo se res habet in cæteris planis & solidis figuris.

Magnitudo est quæ crescit & augetur, atq; secatur, diuidiq; potest in infinitum vsq;. sunt autem tres eius species, linea, superficies, corpus. est autem infinita magnitudo, qua non potest maior intelligi secundum essentiam & subsistentiam quantamcunq;: ita vt nullus finis vel terminus eius inueniri queat. Pars est magnitudo aliqua, alterius magnitudinis, minor maioris: quando minor exactè metitur maiorem. Dicitur autem pars in loco non sicuti mundi pars est terra, neq; hominis pars ipsum caput. neq; verò vt rectæ ad angulos rectos diametro circuli ductæ, dicimus partem esse, angulum extra semicirculum intercептum ceptum recta ad angulos rectos ducta. Fieri enim nequit, vt angulus hic qui ceratoides appellatur, metiatur angulum rectum, cùm omnis angulus rectilineus, minor sit angulo ceratoide. Itaq; in magnitudinibus sumemus partem eam quæ est rerum similiũ generum: atq; sic dicemus partem in magnitudinibus: vt tertiam anguli recti dicemus esse partem recti anguli. Neq; hoc sophismatium concedendum, quo dicimus, si pars est id quod aliquid metitur: etiam quod metitur, pars erit. sed linea recta pedalis metitur solidum. Ergo linea recta pedalis, est pars solidi: & linea recta pedalis est solidum. Id quod absurdum erit. Nam linea recta pedis vnius metitur longitudinem, profunditatem, & latitudinem corporis solidi. quasi ea quæ lineæ rectæ sunt similium generum: non autem ipsum solidum.

Multiplex est maior magnitudo minoris: quando minor eam metitur.

Quid sit pars, quid ratio, & quæ similium sint generum, & quid proportio: diligentius quidem explicata sunt in Arithmeticæ elementis. Nunc verò de his dicemus, quod sicuti in *ti in alijs similium generum ipsa applicatur proportio: ita quoq; in rebus similium generum, quæ in magnitudinibus existunt. Magnitudines dicuntur rationem habere inter se: quæ multiplicatæ sese mutuo excedere possunt. sed respondendum ijs qui hanc oppugnant definitionem, atq; dicunt, illa habere rationem inter se, quæ multiplicata sese mutuo possunt excedere: nihil autem tam est similis generis, quàm sit punctum puncto. itaq; manifestum est, quòd punctum multiplicatum excedet punctum. His, inquam, sic est respondendum, quod punctum non recipiat multiplicationem magnitudinis. quia id quod inter magnitudinem non numeratur: illud etiam neque magnitudinis multiplicationem admittit. solum autem multiplicationem vt numerus recipit. sic enim quoniam in linea recta infinita sunt puncta, hæc illorum sunt multiplicia: ita simpliciter & absolutè de puncto disserunt, ac si esset magnitudo interuallum habens, omnino ex aduerso Euclidi, qui docet punctū esse, cuius nulla sit pars: & dicat rationem habere inter se magnitudi-*

nes.

nes. In eadem ratione dicuntur magnitudines esse prima ad secundam, et tertia ad quartam: quando primæ & tertiæ æquemultiplices, secundæ & quartæ alias quascunq; æque multiplices, vel simul excedunt; vel simul deficiunt, vel simul illis fuerint æquales, sumptæ inter se. Quæ verò eandem rationem habent: nominantur proportionales magnitudines. proportio verò in tribus terminis est minima: atq; hoc in loco termini accipiuntur, vel magnitudinum, vel numerorum ipsis impositorum. sicuti enim circuli terminus est circumferentia, & trianguli termini sunt latera: ita 9. ad 6. huius rationis termini sunt hi ijdem numeri. Quando verò tres magnitudines fuerint proportionales: tum prima ad tertiã habere rationem dicetur duplam, quam ad secundam. Inquit itaq; Eratosthenes, quòd sicuti in æqualibus interuallis, atq; secundum rectam lineam positis: interualla dupla fiunt: ita quoq; in rationibus quodammodo secundum rectam lineam propositis. prima ad tertiam dicitur habere duplam rationem, quàm ad secundam. Nam 9. distat à 6. sesquialtera &

ra, & 6 à 4 eadem sesquialtera: quare 9 à 4. distant, duabus sesquialteris. nam duo isti excessus sunt ijdem vni excessui. exempli gratia. in 9. & 4. nam 9. excedit 6. tribus: & 6. excedit 4. duobus. verum 3. & 2. composita & addita: efficiunt 5. qui merus est excessus 9. & 4. Sicuti verò in maioribus conferendis ad minores: excessus faciunt duplas rationes & triplas: ita quoq; à minoribus, faciunt defectus. Quando verò æque multiplicium, primæ magnitudinis multiplex excedit secundæ magnitudinis multiplicem: tum prima ad secundam maiorem dicetur habere rationem, quam tertia ad quartam. Atque in hac definitione termini, voluit Euclides indicare nobis & proponere: in quibus nam maior sit quærenda & inuenienda ratio alia ratione. & cùm magnitudines in eadem ratione existentes, notis suis designarit per æquemultiplices simul excedentes, vel simul deficientes: nunc docet quæ in maiore sint ratione: illæ quæ habent excessum. Quomodo verò hic fiat excessus ipse exponit in quinto vniuersalis rationum doctrinæ elementaris libro, atq;

in theo-

in theoremate inæqualium magnitudinum demonstrant. Homologæ magnitudines dicuntur esse, antecedentes antecedentibus: & consequentes consequentibus. Ratio quidem dicta est esse, duorum similium generum habitudo quædam inter se: sed in magnitudinibus proprie dicemus, quod ratio sit duarum magnitudinum eiusdem generis, iuxta quantitatem quædam habitudo & affectio: ita vt in illis sit proportio: talium rationum similitudo. Inuersa ratio est consequentis ad antecedentem ratio. Compositio rationis est, sumptio antecedentis cum consequente, ac si vnus esset terminus, ad ipsum consequentem. Cætera de his, tradit Euclides in quinto libro elementorum. Linea infinita neq; multiplicari potest vnquam: neq; altera ad alteram conferri. quæ enim eiusdem generis non sunt: non possunt rationē inter se habere, & quandam habitudinem vt linea ad lineam, superficies ad superficiem: & reliqua similiter. Proportiones aliæ quidem sunt continuæ, aliæ discontinuæ seu separatæ. continuæ sunt, quæ coniunctas & non dissectas habent habitudines.

sepa-

separatæ verò proportiones sunt: quando rationes hoc modo se non habent: verum disiunctæ inter se sunt: neq; vno medio termino inter se copulatæ. quia medius terminus, vnius est antecedens, & alterius consequens. Continua ratio: vt 8. 4. 2. separata. vt 8. 4. 6. 3. est interuallum inter magnitudines propositas. Multa tradit Euclides in decimo elementorum libro de commensurabilibus & incommensurabilibus.

Magnitudo rationalis & irrationalis, vtraq; earum non est ex numero earum rerũ, quæ per se considerantur, sed collatione facta ad aliquid aliud. Nam quæcunq; magnitudines sunt commensurabiles inter se: illæ etiam dicuntur inter se rationales. atque numeri sunt commensurabiles: quia quisq; eorum talis est, vt minimus numerus eum metiri possit. simili modo cubitus & palmus habent commensurabilitatem inter se. nam quemuis eorum, digitus minima mensura metitur. * * Cùm verò in magnitudinibus existat infinitum, neq; vlla sit minima mensura: idcirco patet, quòd magnitudinis ratios

K

nalis, nulla sit certa & definita minima mensura, vt digitus: sed in nobis est situm quantamcunque volumus proponere notam & cognitam minimam mensuram, in qua sit vnitas. quia vt dictum est, quęuis magnitudo per se, neque rationalis, neque irrationalis: cùm omnis linea recta per se neque rationalis, neque irrationalis sit. Verum si conferatur ad vnitatem subiectam in positione: inuenietur vel rationalis, vel irrationalis. itaque latere quadrati proposito rationali: inuenitur diameter potẽtia rationalis: nam longitudine deprehenditur irrationalis. sic etiam diametro existente rationali: latus potentia erit rationalis. cùm tamen vtraque per se neque rationalis, neque irrationalis existat. Sic ergo proponentes minimam aliquam mẽsuram rectarum linearum.

** * mathematici nominarunt rationalem, & quę ei sunt commensurabiles: simili modo & quadratum ab ea descriptum rationale: & figuras huic quadrato commensurabiles nominarunt rationales. sic cubum ex tali descriptum linea recta, & hinc commensurabilia solida.*

Inex-

Inexplicabile, hoc est, irrationale solidum intelligendum est, quod incommensurabile est cubo à rationali descripto. planum verò irrationale, id quod incommensurabile est quadrato à rationali descripto. longitudinem verò, hoc est, rectam rationalem à commensurabili. Sed quia commensurabile in lineis rectis duplex intelligitur esse. vnum quidem quando hæ lineæ rectæ commensurabiles fuerint: & figuræ ab ipsis descriptæ inter se cõmensurabiles, alterũ verò, quando eædẽ figuræ incommensurabiles inter se fuerint: ideoq; & duplex est differentia ad rationalem iuxta veteres mathematicos. aliæ enim dicuntur potentia rationales, aliæ irrationales potentia, reliquæ longitudine. Potentia itaq; rationales sunt vt dictum est à nobis, quæcunq; ipsæmet sunt incommensurabiles rationali: & quadrata ab ipsis descripta commensurabilia quadrato à rationali descripto. Longitudine verò, quando quadrata ab ipsis descripta, in quadratis numeris fuerint: vel latera habent commensurabilia rationali longitudine. deniq; vniuersaliter nominatur ra-

tionali commensurabilis, rationalis siue longitudine, siue potentia tantum. Definiunt etiam rationalem hoc modo. Rationalis est, quæ per numeros fit nota: verùm hæc non est vera definitio rationalis: sed eius accidentis: nam si exempli gratia rationales proponunt, quadratorum à rationali cubitali descriptorum. nouimus quot palmorum aut digitorum vnaquæq; sit: vnde ex accidentibus eam appellamus rationalem, per numeros cognitam. Differt autem rationalis à data, quòd rationalis quidem omnino sit data: data verò non necessariò sit rationalis. nam rationalis quantitate & qualitate manifesta est: data verò quantitate & magnitudine tantum: sunt enim quædam irrationales datæ. Euclides inquit rationale quadratum à proposita recta descriptum. Vbi nominatur proposita recta ea, quæ principium est mensurarum, & tanquam regula ad dimensionem longitudinis, positione quadam à nobis est assumpta. Vt si quis proponat quantum sit interuallum inter duo proposita puncta: ille nihil ratione dignum quæret, quot sint pedum & cubitorum:

necesse

necesse esset nos petere ab ea, quæ exhiberetur quantitate cubitum vel pedem, atq; cùm vteremur illa proposita rationali linea recta inquiremus propositum interuallum, an esset omnino mensura rationalis.

Sunt autem dimensionum in magnitudinibus, quæ certas magnitudines exactè metiuntur genera ista. digitus, palmus minor, palmus maior, pes, vlna, seu cubitus, passus, orgya: mensura minima verò omnium est digitus. Diuiditur verò in partes, dimidiam scilicet tertias & reliquas. Sunt autem & aliæ mensuræ ab aliquibus excogitatæ. istæ scilicet: Passus, Acæna, seu pertica, Plethrum, Iugerum, Stadium, Milliare, Schœnus, Schœnus persica, & Schœnus græca, cæteræq; his similes.

FINIS.